

brata. Item Conciliis Occidentalibus Aurelianensi primo, can. II. Aurelianensi quarto, can. 2. Agathensi, can. 8. Antiocheni, can. 2. Toletano 8. can. 9. & Bracarensi 2. can. 9.

Porro, nullus est veterum Patrum, qui Quadragesimæ non meminerit. Ex Græcis, Sanctus Ignatius in epistola ad Philippenfes. S. Irenæus in epistola ad Victorem, apud Eusebium, lib. 5. Historiarum, cap. 24. Origenes hom. 10. in Leuiticum, Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi 1. & 18. Epiphanius in compendiaria doctrina. Athanasius in epistola ad Orthodoxos de persecutione. Basilius oratione secunda, de ieiunio. Gregorius Nazianzenus oratione in sanctum lauacrum. Gregorius Nyssenus oratione de amandis pauperibus. Ioannes Chrysostomus homilia 1. in Genesim, & homilia 18. & 73. ad populum Antiochenum. Theophilus Alexandrinus in epistolis tribus Paschalibus. Denique Dorotheus Abbas, in libro de vita rectè ac piè instituenta, doctrina 15. vbi etiam affirmat, Quadragesimam ab Apostolis institutam. Vide hunc auctorem in tomo 3. Bibliothecæ sanctorum Patrum.

Ex Latinis, Tertullianus in libro de ieiunio, capite secundo dicit, Ieiunium quoddam esse in Ecclesia lege præscriptum. Deinde capite decimotertio illud ipsum vocat ieiunium Paschale. Ex quo intelligimus, eum de Quadragesima loqui, id est, de ieiunio, quod ante Pascha sollemniter celebratur. Sed verbis disertis Quadragesimæ faciunt mentionem ex Latinis, Ambrosius libro de Noe, & arca, cap. 13. & sermone 23. & sequentibus, Hieronymus in caput 58. Isaïæ, in caput tertium Ionæ, in cap. 9. Matthæi in epist. ad Letam, de institutione filiæ, & alibi. Augustinus in epist. 119. cap. 15. Et in Psal. 110. & in sermonibus plurimis. Paulinus in epist. 5. ad Amanum, Maximus in sermonibus de Quadragesima, Cassianus Collat. 21. Leo Pontifex in sermonibus, item de Quadragesima. Petrus Chrysologus, in sermonibus de Quadragesima. Gregorius Magnus, homilia 16. in Evangelia. Isidorus libro primo de officiis diuinis, cap. 36. Rabanus, lib. 2. de Institut. clericorum. Amalarius lib. 1. de officiis Ecclesiasticis. Rupertus lib. 4. de officiis diuinis. Bernardus in sermone de Quadragesima.

Ex hac autem tâta nube testium, qui omnes Quadragesimæ, vt rei sacræ & celeberrimæ, faciunt mentionem, mirum est, si non opprimatur impudentia Hæreticorum, & præsertim Caluini, qui in libro quarto Institutionum, capite duodecimo, s. vicesimo dicere ausus est: *Iam inualuerat supersticiosa Quadragesimæ observatio.* Quomodo enim supersticiosa observatio dici potest, quæ ab Apostolis per doctrinam Spiritus sancti instituta, omnibus seculis post Apostolica tempora succedentibus, ab omnibus Conciliis, omnibusque Patribus Græcis & Latinis celebrata est?

Adde quod non desunt insignes Patres, qui ab ipso Domino indictam Quadragesimam fuisse docent. Sic enim loquuntur, Ambrosius sermone 25. Hieronymus in caput 58. Isaïæ, & caput 3. Ionæ. Augustinus in Psal. 110. Et Leo sermone duodecimo de Quadragesima. Quamuis enim Ambrosius, Hieronymus & Augustinus intelligant, Quadragesimam à Domino indictam, non verbo, sed exêplo: & Leo diuinitus institutam esse dicat, quoniam Apostoli, non ex proprio capite, sed ex inspiratione Dei illam instituerunt: tamen hoc ipsum, quod Christus exemplo suo, & Spiritus sanctus vñctione sua Quadragesimam instituerit, apertissimè docet, planè blaphemum & sacrilegum esse Caluinum, qui super-

A stitiosam quadragesimæ obseruationem vocare non dubitauit.

Sed obiicit Kemnitijs testimonium sancti Augustini, ex epistola 86. ad Casulanum: *Ego in Evangelicis & Apostolicis litteris, totoque instrumento, quod appellatur testamentum nouum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non inuenio definitum.* Sed facilius RESPONDEO. Loquitur enim sanctus Augustinus de præcepto Domini, vel Apostolorum scripto in diuinis libris. Fatemur autem nullum eiusmodi in diuinis libris extare præceptum. Et ideo non præcepto scripto, sed traditione non scripta defendimus Quadragesimam ab Apostolis institutam. Esse autem hanc verè Apostolicam traditionem, probauimus paulò ante per illam ipsam regulam, quam nobis ad traditiones Apostolorum internoscendas, idem ipse sanctus Augustinus reliquit.

CAPVT XV.

De Quadragesima varietate.

ADMIRANDA planè fuisse videtur, apud veteres in Quadragesima obseruanda varietas. Nam S. Irenæus apud Eusebium, lib. 5. cap. 25. scribit, alios vno die, alios duobus, alios pluribus, alios quadraginta diebus Paschale definitiue ieiunium.

S. Basilius oratione secunda, de ieiunio, indicit publicè Quadragesimam, & tamen dies tantum quinque, non autem quadraginta ieiunandos esse monet. Quod diligenter notari iubet Kemnitijs in quarta parte Examinis cap. 630.

S. Ambrosius ser. 4. dicit, suo tempore aliquos non Quadragesimam, sed quinquagesimam ieiunare solitos; alios contra vix Trigesimalam, aut Vigesimalam, cum alternis tantum hebdomadis in Quadragesima ieiunarent.

Ioannes Cassianus, Collatione 21. capite 27. scribit, alios ieiunare sex hebdomadas, alios verò septem.

Socrates libro quinto historiarum, capite 21. dicit, Romanos ieiunare solitos tres tantum hebdomadas ante Pascha, Dominicis & Sabbatis non supputatis. Græcos, Illyricos & Alexandrinos, sex hebdomadas. Alios quosdam septem hebdomadas, sed interuallo posito post quintumdecimum quemque diem. Quem locum non solum Kemnitijs in Exam. sed etiam Caluinus Instit. lib. 4. cap. 12. obseruari iubet.

S. Leo sermone 4. de Quadragesima indicat, suo tempore solum quatuor dies per hebdomadam ieiunari consueuisse in Quadragesima. Sic enim loquitur indicens ieiunium Quadragesimæ: *Igitur feria secunda, feria quarta, & feria sexta ieiunamus: Sabbato autem apud S. Petrum vigiliis celebremus.* Dixi autem quatuor dies, quia Sabbato cum vigilia semper ieiunium iungebatur.

Ceterum hæc tanta diuersitas non difficulter tolli potest. Verè enim in Ecclesia Catholica omnibus seculis, tum apud Græcos, tum apud Latinos ieiunium Paschale fuit dierum quadraginta, aut ferè quadraginta, id est, triginta sex. Id verò perspicuum est PRIMO, quoniam omnia Concilia & Patres suprâ citati vniuntur nomine Quadragesimæ, cum ieiunium Paschale commendant. Per Quadragesimam autem non potest intelligi nisi numerus quadragenarius, aut propè quadragenarius. Quis

enim Quadragesimam vocaret ieiunium dierum quindecim, aut viginti.

SECUNDO, multi Patres dicunt, ieiunari Quadragesimam ad exemplum Christi, Moſis, & Eliæ; id enim habet ſanctus Baſilius oratione in quadraginta Martyres, ſanctus Hieronymus in caput quinqueſimum octauum Iſaiæ, ſanctus Auguſtinus in epiſtola centefimadecimanona ad Ianuarium, & alij. At Chriſtus, Moſes, & Elias quadraginta dies ieiunauerunt.

TERTIO, ſanctus Ambroſius ſer. 23. ſanctus Gregorius hom. 17. & Caſſianus Collat. 21. cap. 27. ſcribunt, Quadrageſimam continere quadraginta duos dies, & detractis Dominicis in quibus non ieiunatur, remanere dies ieiunij triginta ſex.

QUARTO, ſanctus Auguſtinus in epiſtola 117. cap. 17. ſanctus Leo, ſermonie 4. de Quadrageſima, & Petrus Chryſologus, ſermonie 11. diſcretis verbis tradunt, ieiunium quod ante Paſcha celebratur, eſſe quadraginta dierum.

Sed hæc omnia clariora efficiuntur ex diſcuſſione eorum, quæ contra objiciebantur. Nam ad locum productum ex Irenæo iam reſpondimus capite ſuperiore, non loqui Irenæum de varietate dierum Quadrageſimæ: ſed de varietate continuandi ieiunium ſine omni cibo in ipſa Quadrageſima; id eſt, an tempore Quadrageſimæ cibus ſumendus eſſet ſemel in die, aut ſemel poſt biduum, aut triduum, &c.

Ad locum ſancti Baſilij RESPONDEO, loqui ſanctum Baſilium de ieiunio ſingularum hebdomadarum Quadrageſimæ, ac numerare ſolum quinque dies, quoniam Græci die Sabbati & die Dominico non ieiunant. Hortatur enim ſanctus Baſilius populum ad ieiunium Quadrageſimæ alacriter amplectendum; atq; inter alia argumenta, quibus probat, non eſſe difficilem Quadrageſimæ obſeruationem, adducit illud, quod numerus dierum, quibus continenter ieiunandum eſt, non ſit niſi quinquarius; quinario enim exacto ſuccedere biduum, quibus ieiunij ſeueritas relaxetur. Itaque annotatio Kemnitij ex imperitia nata eſt.

Ad locum S. Ambroſij RESPONDEO, Qui ieiunare volebant Quinquageſimam pro Quadrageſima, eos voluiſſe ſecundum ritum Græcorum non ieiunare die Sabbati. Sic enim detractis Sabbatis, & addita vna hebdomada, redit numerus dierum, quibus ieiunatur, omnino idem cum eo, qui reſultat dempta vna hebdomada, & Sabbatis incluſis. Cæterum hîc mos, quamuis in numero dierum cum noſtro conueniat, tamen non placuit Eccleſiis Latinis, & ideo Concilium Agathenſe can. 8. Aurelianenſe I. can. 11. & Aurelianenſe IV. can. 8. mandat, vt omnes ieiunent Sabbata Quadrageſimæ, & veram Quadrageſimam, non Quinquageſimam celebrent.

Hæc eſt igitur quinquageſima, quam ſanctus Ambroſius reprehendit, ſiue quicumque eſt auctor illius ſermonis. Nam certè vix fieri poteſt, vt auctor ſit Ambroſius, cum eius tempore Mediolani ſeruaretur vſus Græcorum de Sabbato non ieiunando. Sic enim loquitur ſanctus AMBROSIVS, in libro de Elia & ieiunio, capite decimo: *Quadrageſima totis, præter Sabbatum & Dominicum, ieiunatur diebus.*

Porrò illi, qui apud eundem auctorem ieiunabant alternis ſeptimanis, fortè addebant ad numerum hebdomadarum, vt etiam ipſi complerent eundem numerum dierum ieiunij quadrageſimalis. Sed ſiue id fecerint, ſiue non fecerint, parum refert, quoniam hi non legem aliquam Eccleſiaſticam, ſed cupiditatem & intemperantiam ſuam habebant pro

A lege, & propterea ab auctore illo grauiffimè caſtigantur.

Ad locum Caſſiani facilis eſt RESPONſIO. Ipſe enim fatetur, nullam eſſe diſcrepantiam in numero dierum. Quidam enim, id eſt, Latini ieiunabant ſex hebdomadas, quia ſolum Dominicos dies non ieiunabant: quidam, id eſt, Græci ieiunabant ſeptem hebdomadas, quia nō ſolum Dominicos dies, ſed etiam Sabbata non ieiunabant, excepto Sabbato ſancto. Sicut enim in ſex hebdomatis triginta ſex dies ieiuniorum inueniuntur, demptis Dominicis: ita quoq; in ſeptem hebdomadis triginta ſex dies ieiuniorum inueniuntur, detractis Sabbatis & Dominicis, excepto Sabbato ſancto.

Ad locum Socratis DICO PRIMO, Socratem non multum fidei mereri, cum & Nouatianus & Aerianus fuerit. Cupiebat enim (vt ipſe apertè in hoc ipſo loco indicat) feſta & ieiunia omnino eſſe libera. Deinde, aut manifeſtè falſa ſcribit, aut codicem eius corruptum habemus. Scribit enim apud Romanos non ieiunari niſi tribus hebdomadibus ante Paſcha, detractis Sabbatis & Dominicis. At Romæ poſitiſſimū ieiunabatur Sabbato, non ſolum in Quadrageſima, ſed etiam per totum annum, vt S. Auguſtinus docet in epiſt. 86. ad Caſulanum. Imò ipſi Græci in cano. 55. eorum, qui ſextæ Synodo tribuuntur, Romanos reprehendunt, quod Sabbato in Quadrageſima ieiunent.

Itaque exploratus eſt error Socratis, quod Romani Sabbata excipiant à ieiunio Quadrageſimæ. Nec minus exploratus eſt error, quod non ieiunent, niſi tres hebdomadas. Nam Caſſianus, qui vixit eodem tēpore, quo Socrates, ſcribit, Latinos ieiunare ſex hebdomadas. Et S. Leo, qui fuit Epiſcopus Romanus tempore Socratis, in ſermones. de Quadrageſima dicit, Romæ ieiunium ante Paſcha eſſe omnino quadraginta dierum.

Sed probabile eſt, codicem Socratis eſſe corruptū, & pro tribus ſeptimanis ſcribendum eſſe quinque, vt numeri, quos ipſe ponit, ſe conſequantur, videlicet quinque, ſex, ſeptem; & nomen Sabbati irrepreſerit in codicem Socratis conſuetudine Græcorum, qui Sabbatis non ieiunant.

At (inquies) Romani non quinque ſeptimanas ieiunant, ſed ſex; & Græci non ſex, ſed ſeptem, vt ex Caſſiano didicimus. Verum eſt, ſed Socrates diſtinguit Quadrageſimam ab hebdomada ſancta, & ideo dicit, ieiunari quinque hebdomadas à Romanis, & ſex à Græcis: Caſſianus includit in Quadrageſima ſanctam hebdomadam, & ideo ieiunio Latinorum tribuit hebdomadas ſex; ieiunio Græcorū ſeptem. Morem autem eſſe Græcorum diſtinguere ieiunium Quadrageſimæ à ieiunio hebdomadæ Paſchalis, id eſt, quæ ipſum Paſcha proximè præcedit, perſpicuum eſt ex Ignatio, in epiſtola ad Philippenſes ex Clemente libro quinto, conſtitutionum Apoſtolicarum, cap. 13. & 19. & ex Epiphanio, in compendiarie doctrina.

E Itaque ſi corrigamus textum Socratis, & pro tribus ſeptimanis ponamus quinque, nulla erit diſcordia inter Socratem & Caſſianum de ieiunio tum Latinorum, tum Græcorum. Illi autem qui apud Socratem dicuntur, præter regulam cæterorum ieiunare ſeptem hebdomadas, ſed intervallo interpoſito poſt quindecim dies: conueniunt etiam cum cæteris in numero dierum. Nam ieiunabant primas duas hebdomadas integrè, deinde in tertia hebdomada ceſſabant à ieiunio. Rurſus ieiunabant quartam & quintam hebdomadam etiam integrè; tum ceſſabant in hebdomada ſexta. Denique ieiunabant

hebdomadam septimam, eique addebant hebdomadam sanctam. Proinde ieiunabant integrè sex hebdomadas, quæ vt suprâ diximus, continent dies ieiuniorum sex & triginta.

Ad locum sancti Leonis **R E S P O N D E O**, sanctum Leonem loqui de ieiunio quatuor dierum, qui aduntur ante primam Dominicam Quadragesimæ, vt numerus quadragenarius compleatur. Nam si loqueretur de ieiunio ipsius Quadragesimæ, & vellet eximi in singulis hebdomadis feriam tertiam & feriam quintâ, sequeretur, vt vel dies ieiunij Quadragesimalis non essent triginta sex, sed pauciores, vel certè hebdomadæ Quadragesimales non essent sex, sed plures. Vtrumq; autem repugnat Cassiano, qui tempore sancti Leonis vixit, & apertissimè tradit apud Latinos sex esse hebdomadas Quadragesimales & in ijs ieiunari dies sex & triginta. Quod idem tradit S. Gregorius, hom. 16.

Adde, quod sanctus Leo in singulis ferè sermonibus de Quadragesima repetit, dies ieiunij Quadragesimalis non esse triginta sex, sed planè quadraginta; ex quo intelligimus, iam tunc addi cœpisse quatuor dies ante primam Dominicam Quadragesimæ. Sic enim loquitur sermone 4. *Prouisum est vt ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur.* Et sermone 5. *Saluberrimè nos quadraginta dierum ieiunio preparamus.* Et ser. 6. *Apostolica institutio quadraginta dierum ieiunij impletur.* Et ser. 8. *In istis quadraginta dierum ieiunij, vos pietatis operibus expolite.* Et sermone 10. *Merito nos quadraginta dierum ieiunio preparamus.* Et sermone 12. *Sic est præcurrenda consuetudo ieiunij, vt nos quadraginta dierum numerus exerceat.*

Ex quo postremo loco intelligimus, sermonem esse habitum non in ipsa prima Dominica Quadragesimæ, sed in præcedente Ideo enim dicit, præcurrendum esse ieiunij consuetudinem, vt quadraginta dierum numerus nos exerceat, quia nisi præcurreremus consuetudinem ieiunij addendo quatuor dies, non esset numerus quadraginta dierum, sed tantum triginta sex. Et ideo etiam in sermone illo quarto, vbi denunciatur ieiunium feriæ 2. & 4. & 6. & vigilia, ac per hoc etiam ieiunium in Sabbato, dicit: *Ingressuri mysticos dies, &c.* Ex quo intelligimus, sermonem esse habitum in Dominica præcedente primam Dominicam Quadragesimæ, ac per hoc inditum esse ieiunium quatuor dierum ante ipsam primam Dominicam, in qua propriè incipit Quadragesima.

Porrò, hanc additionem quatuor dierum vniuersa Ecclesia recepisse videtur. Esse enim valde antiquam in Latina Ecclesia, perspicuum est ex Alcuino, in libro de officiis Ecclesiasticis, vbi tractat de capite ieiunij, ex Amalario, libro primo, de officiis Ecclesiasticis, capite septimo, ex Micrologo, in libro de obseruationibus Ecclesiasticis, capite 49. ex Ruperto libro quarto, de officiis diuinis, cap. 9. ex Iuone in serm. de capite ieiunij, ex Gratiano, de consec. distin. 5. can. Quadragesima. Denique ex sacramentario Sancti Gregorij, in quo annotatur initium ieiunij feriæ quarta, ante primam Dominicam quadragesimæ.

Nec solum in Latina Ecclesia, sed etiam in Græca receptam fuisse hanc consuetudinem complendi numerum quadragenarium, cognosci potest ex Dorotheo Abbate, quem suprâ citauimus, in lib. de vita rectè instituenda, doctrina 15. qui dicit, Quadragesimam constare triginta sex diebus ieiuniorum, sed additam esse vnam hebdomadam à maioribus, vt numerus quadragenarius completeretur.

A Illud tamen fatendū est, additionem horum quatuor dierum aliquo modo variatam esse. Nam tempore sancti Leonis quatuor dies erant, feria secunda, quarta, sexta, & Sabbatum: tempore autem sancti Gregorij, feria quarta, quinta, sexta, & Sabbatum. Quod autem in sermone quodam S. Augustini, titulus extat, feria quarta, in capite ieiunij, nos mouere non debet. Nam neque certum est, vtrum sermo ille sit beati Augustini, neque an titulus ille ab Augustino sit additus. Videntur enim sermones illi de tempore, ab aliquo posteriore collecti, & ad ordinem Gregorianum accommodati.

CAPVT XVI.

De ratione instituende Quadragesimæ.

B **Q**UÆ fuerit ratio Quadragesimalis ieiunij instituendi, breuiter explicandum est, tum propter Caluinum, qui non aliam rationem agnoscit, quam *regolniam*, tum propter Kemnitium, qui rationes, quas Theologi adferunt, ita ineptas iudicat, vt solam earum recitationem dicat satis esse ad confutationem.

C Igitur **S E P T E M** videntur esse præcipuæ causæ huius institutionis. **P R I M A**, vt Christiani omnes pro negligentis toto anno commissis agant, quasi communem & publicam pœnitentiam, & Deum coniunctis studiis, precibus & lacrymis placare niantur. Sic enim loquitur sanctus Leo sermone quarto de Quadragesima: *Num per varias actiones vira huius sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere: ideo magna diuina institutionis salubritate prouisum est, vt ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & ieiunia casta decoquerent.* Quadragenarium autem numerum pœnitentiæ conuenire, docent sancti Patres, Hieronymus in caput tertium, Ionæ, & Gregorius homilia decimasexta in Evangelia.

D **S E C V N D A** ratio, vt ad sacram communionem, quam in Paschate Christianorum nullus debet omittere, simul omnes per hoc publicum ac solemne ieiunium præparemur. Reddunt hanc rationem Chrysostomus, homilia prima in Genesim, & Hieronymus in caput 3. Ionæ; quo loco sic ait: *Ipsè Dominus versus Ionas ieiunauit quadraginta dies, & hereditatem nobis ieiunij derelinquens ad Iesum corpori sui, sub hoc numero nostras animas preparam.* Et in caput 9. Matthæi, scribit idem Hieronymus ieiunari Quadragesimam, vt laginæ spiritali, ieiunio corporis præparemur.

E **T E R T I A**, vt impleatur quod Dominus ait, Matthæi nono: *Cum auferetur ab eis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Hanc enim rationem dedebant antiquissimi Christiani, apud Tertullianum, in libro de ieiunio. Scribit enim sanctus Hieronymus in caput nonum Matthæi, Montanistas occasione huius sententiæ instituisse vnam Quadragesimam ieiuniorum post Ascensionem Domini, interpretantes per ablationem sponsi ipsam Ascensionem. Sed Ecclesia Catholica à Spiritu sancto, melius edocta, per ablationem sponsi passionem eius & mortem interpretatur. Ex ideo tunc maiora ieiunia instituit, cum ipsam Dominicam passionem commemorare aggreditur.

Q V A R T A, vt non solum verba Domini impleantur, sed etiam vt ad celebrationem passionis & refur-

rectionis Domini, quæ sunt mysteria nostræ redemptionis omnium maxima, per hoc solenne ieiunium præparemur. Reddunt hanc rationem passim sancti Patres, sed præcipuè sanctus Leo, qui in sermone 9. de Quadragesima sic ait: In omnibus dilectissimi, solemnitatibus Christianis non ignoramus, Paschale Sacramentum esse præcipuum cui, condignè & congruè suscipiendo, totius quidem nos temporis instituta reformant, sed deuotionem nostram presentes, vel maximè dies exigunt, quod illi sublimissimo diuinæ misericordie Sacramento, scimus esse contiguos. Et sermone decimo: Cognoscimus (inquit) ad celebrandum Pascha diem meritò nos quadraginta dierum ieiunio præparari, ut digni possimus diuinis interesse mysteriis, Et sermone 12. Suscepturi festorum omnium maximum festum, ea non debemus obseruantia præparare, ut in cuius sumus resurrectione conuersiuitati, in ipsius inueniamur passione commortui.

QUINTA, ut Christiani non solum pro se, sed etiam pro Catechumenis in Paschate regenerandis ieiuent & orent. Pulchrè S. Ambrosius, sermone 57. Sic (inquit) Elias quadraginta dierum curriculo continuato ieiunio, totius mundi longam ac nimiam siccitatem, meruit imbrium rore restringere, & ardentem terrarum sitim cælestis pluuie largitate persundere. Quod quidem in figuram nostræ factum esse cognoscimus, ut nos quoque horum quadraginta circulo dierum ieiunantes spiritualem Baptismatis pluuem mereamur, nostramque iamdiu aridam terram cælestis desuper imber infundat, & longam gentium siccitatem lauacrimundatio salutaris irroret. Siccitatem enim, & ardorem animæ suæ patitur, quisquis Baptismi gratia non rigatur. Vide etiam serm. 38.

SEXTA ut quasi decimas vitæ nostræ per abstinentiam quadragesimalem Domino consecremus. Nam dierum totius anni decima pars sunt dies triginta sex. Tot autem sunt dies ieiunij Quadragesimalis propriè dicti. Quadragesima enim propriè incipit in prima Dominica Quadragesimæ, ut perspicuum est tū ex officio Ecclesiastico, tū ex eo, quod ieiunium Quadragesimæ soluitur ad vespèram, ieiunium autem dierum præcedentium primam Dominicam Quadragesimæ soluitur ad nonam. Et hæc est ratio cur sanctus Gregorius homil. 16. dicat, ieiunium Quadragesimæ constare triginta sex diebus. Tametsi enim ipse ignorare non posset, addi solere quatuor dies ad numerum quadragenarium perficiendum: tamen sciebat etiam Quadragesimam propriè dictam non ultra triginta sex dies extendi. Vide hanc rationem de decimis per ieiunium Deo soluendis apud Cassianum, Collat. 21. capite vigesimo septimo. Gregorium hom. 16. Isidorum lib. 1. de officiis diuinis, cap. 36. & Dorotheum Abbatem, loco supra citato.

SEPTIMA, ut Christum, qui caput nostrum est, eo modo, quo possumus, imitemur. Imitamur autè per hoc ieiunium, tum passionem Christi, quam hoc tempore ipse pro nobis pertulit, tum etiam illud ipsum ieiunium, quod nostri causa suscipere dignatus est. Atque hanc rationem, quam Hæretici præcipuè rident, sancti Patres supra citati maximi faciunt. Et verè non potest reddi certior ratio, cur hoc Paschale ieiunium, Quadragesima nominetur, nisi quia suscipitur ad imitandum Christum, qui quadraginta diebus legitur ieiunasse.

Sic Ignatius ad Philippenses monet: Ieiunandum esse à fidelibus Quadragesimam, quia imitationem continet conuersationis Domini. Scribit quidem Kemnitius hanc sententiam videri assutam in epistola sancti Ignatii, ex Constitutionibus Clementis. Sed cur fieri non potuit, ut Ignatius Clementem imitaretur, & verba illius sua etiam verba faceret?

A DEINDE, præter Ignatium omnes ferè Patres hoc ipsum repetunt. Basiliius orat. 1. de ieiunio: Caput (inquit) omnium relocatorum Dominus noster cum per ieiunium carnem; quam pro nobis assumpsit, munisset, sic in ipso Diaboli insulius sustinuit; quo & nos crudiret, ut per ieiunia vngamus, ac exerceamus nos ipsos ad certamina in tentationibus.

Gregorius Nazianzenus, oratione in sanctum Lauacrum: Christus, inquit, paulò ante tentationem ieiunauit, nos ante Pascha. Ieiunium vnum, idem est, ac vtriusque temporis non parua est differentia. Ille totos quadraginta dies à cibo abstinuit, ut pote Deus: nos autem ad virium nostrarum modulum ieiunium attemperauimus.

Hieronymus, in caput quinquagesimum octauum Isaïæ: Dominus, inquit, quadraginta diebus in solitudine ieiunauit, ut nobis solennes ieiuniorum dies relinquere.

B Chrysostomus homilia prima in Genesim. Dominus noster, inquit, Iesus Christus & ipse quadraginta dierum ieiunio declarato, sic certamen contra diabolum aggressus est, omnibus nobis exemplar dans, ut per illud armemur, &c.

Augustinus in epistola. 119. capite decimo quinto: Quadragesima, inquit; ieiuniorum habet auctoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moysis, & Elia, & ex Euangelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit.

Ambrosius sermone vigesimo quinto: Vbi est, inquit, similis cum Christo deuotio, similis est & cum Christo tentatio. Et sermone 34. Quadragesimam, inquit, nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Et sermone 37. Hoc fecit, inquit, causa salutis nostræ, ut rem vtilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, ut eisdem vestigijs, quibus ad fidem currimus, ad abstinentiam graderemur.

Hæc loca paulò fufius adscribere volui, ut aduersarij intelligant, quos auctores reprehendant, cum Quadragesimam ex praua Christi imitatione natam esse dicunt. Sed habet Calvinus Tria argumenta, ut probet, Christum non ieiunasse ut se nobis imitandum præberet. PRIMVM est, Quoniam si Christus id facere voluisset, debuisset singulis annis Quadragesimam ieiunare. SECUNDVM, Quia debuisset non omnino à cibo abstinere, sed vna tantum refectioe esse contentus. TERTIVM, Quoniam Moyses ieiunauit quadraginta diebus; & tamen non fuit in testamento veteri institutum, ut ad Moysis imitationem Quadragesima ieiunaretur. Addit Kemnitius QUARTVM argumentum ex Chrysostomo, homilia quadragesimaseptima in Matthæum. Non enim, inquit, dicit Christus, ieiunium suum esse imitandum, quamuis quadraginta illos dies posse proponere; sed, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Imò vero contra, Omne quod apponitur vobis manducate, inquit.

D Ad PRIMVM RESPONDEO, Christum ieiunasse vnam Quadragesimam solum, & vna tantum die palam tentari voluisse. Quoniam id satis erat ad exemplum nobis præbendum, ut ad resistendum tentationibus per ieiunium armaremur. Nos autem, qui non semel, sed annis singulis cum tentatore pugnaturi sumus, annis singulis ieiunare debemus.

Ad SECUNDVM Dico, nos non ita velle Christum imitari, ut non simul eum admirari velimus. Imitamur enim eum; ut discipuli magistrum, ut serui dominum, ut homines Deum; non perfecte, sed pro modulo nostro, ut Nazianzenus admonuit.

Ad TERTIVM Dico, non esse eandem rationem Moysis & Christi, Synagogæ & Ecclesiæ. Nam &

Christus dignior est quam imitemur, quam fuerit A
Moses, & Ecclesiæ conuenit maior promptitudo, & amor ad ipsum Dominum imitandum, quam Synagogæ ad imitandum seruum. Adde quod nusquam legitur, Moses datus Hebræis in exemplum. Nobis autem Christus, Ioann. 13. ait: *Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis* Et B. Petrus in priore epist. cap. 2. *Christus passus est pro nobis, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius.* Et Apostolus Paulus ad Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut Filij carissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos.*

Ad **Q**UARTVM, Fateor, Christum non dixisse verbo ut imitaremur ieiunium eius, sicut dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde:* Tamen quod non dixit verbo, dixit exemplo, ut tot sancti Patres & ipse etiam Chrysostomus, monuerunt. Cur autem Christus non dixit verbo, ut ieiunium eius imitemur non dixit, ut humilitatem & mansuetudinem disceremus; ratio est quam reddit Chrysostomus, quia ieiunium sine humilitate nihil prodest, humilitas sine ieiunio multum prodest. *Hæc dixi*, inquit Chrysostomus, *non quia ieiunium mihi non placet, quod magis soleo esse ferre laudibus: sed quia dolco, si cæteris neglectis satis ad salutem uobis ieiunium existimetis.*

Quærent aliqui, si Quadragesima ieiunij Christi imitatio est, cur non ieiunemus illo ipso tempore, quo Dominus ieiunauit. Sed facilis est responsio. **P**RIMVVM enim maluit Ecclesia post Dominum, quam cum ipso Domino ieiunare, ut uerè eius uestigia sequeretur. Itaque ieiunauit Dominus à sexta die Ianuarij, usque ad quartam decimam Februarij: nos autem ut plurimum ibi incipimus, ubi ipse desinit.

DEINDE, par erat, ut ieiunium celeberrimum cum festo celeberrimo iungeretur. *In qua parte anni*, (inquit S. Augustinus in epist. 119. cap. 15.) *congruentius obseruatio Quadragesima constitueretur, nisi consini, atque contigua Dominicæ passioni?*

Ad hæc, nunquam magis sunt necessaria arma ieiunij: quam ineunte uere, quo tempore crescentibus humoribus, actiores tentationes existere solent.

DENIQUE, nullum est aptius tempus, quo facilius ab omnibus ieiunari possit. Nam in hyeme nimium frigus exigit multum alimenti; pisces natura sua frigidi, non multum eo tempore conferunt ualitudini, olera, quibus in Quadragesima magnus est usus, vix usquam in hyeme reperiuntur. In ætate nimius calor exigit cibum modicum, sed frequentem: pisces quoque vix à putrefactione conseruari queunt. Denique tum in ætate, tum in autumnò multi sunt labores agriculturalum, multæ agritudines, multa incommoda. In uere autem tempus est temperatum, pisces salubres, copia olerum ingens, opera in agris rara, ac penè nulla. Quare sanctus Hieronymus rectissime dixit in epistol. ad Marcellam: *Nos unam Quadragesimam tempore nobis congruo ieiunamus.*

CAPVT XVII.

De ieiunio ferie quartæ, & ferie sextæ.

POST ieiunium Quadragesimæ nullum est aliud cuius maior inueniatur mentio apud veteres, quam ferie quartæ, & ferie sextæ. Meminit huius ieiunij canon. Apostolorum sexagesimus octauus. Ignatius in epistol. ad Philipenses. Tertullianus in lib. de ieiunio, Clemens Alexandrinus lib. 7. Strom.

Utra medium, Origenes hom. 10. in Leuiticum, Epiphanius in compendiaria doctrina, Hieronymus in caput quartum ad Gal. Augustinus in epistol. 86. ad Casulanum, Palladius in historia Lausiaca, cap. 52. & alij passim.

Causam huius ieiunij callidè, sed falsò reddit Kemnitijs in quarta parte exam. pag. 587. dicit enim veterem Ecclesiam ieiunare solitam feria quarta & feria sexta, quia duobus illis diebus conueniebant populi in Ecclesiam ad audiendum uerbum Dei, & sumendum cœnam. Et inde colligit pag. 584. hoc tempore debuisse hæc ieiunia cessare, cum causa ipsa cessauerit. Et ibidem addit, Quadragesimam fuisse institutam, quoniam apud veteres in Paschate catechumeni baptizabantur, & pœnitentes absoluebantur, & ideo cum eis totus populus ieiunabat. Proinde hoc tempore superuacaneam esse Quadragesimam, cum ritus illi, propter quos fuerat instituta cessauerint.

At si uerum esset, quod Kemnitijs dicit de causa ieiunij ferie quartæ & sextæ; oportuisset Christianos semper in Dominica ieiunare. Nullo enim die solemnior atque celebrior populi conuentus in Ecclesia esse solet ad concionem audiendam, & sacram communionem percipiendam, quam die Dominico. Et hanc fuisse consuetudinem antiquissimam, cognosci potest ex Apologia S. Iustini ad Antoninum. Neque aduersarij id negant. Die uerò Dominica non esse ieiunandum, testantur multi veteres, atque in primis S. Augustinus in epist. 86. & 119. Falsum igitur est, quod Kemnitijs dicit, Feria quarta & sexta ieiunium indici solitum, quia diebus illis conueniebat populus ad uerbum Dei audiendum, & cœnam Domini participandam.

Quod autem addit, oblitam esse consuetudinem baptizandi catechumenos, & absoluendi penitentes in paschate, uerum est apud Lutheranos: ceterum apud Catholicos, ac præsertim in vrbe Romana nullus est annus, quo non multi Catechumeni in Paschate baptizentur. Pœnitentes autem non solum Romæ, sed in tota planè Catholica Ecclesia maximo numero in Paschate præmissa absolutione, Christi corpus accipiunt.

DHis igitur omissis uera causa ieiunij quartæ & sextæ ferie est ipsa Dominica passio, quam per totum annum his potissimum diebus commemoramus, quod feria quarta Dominus proditus ac uentus fuerit, feria sexta crucifixus & mortuus. Hanc enim causam reddunt Clemens lib. 5. Apostol. Const. c. 16. & Augustinus epist. 86. Sanctus autem Epiphanius dicit quidem feria sexta ieiunari, quia Dominus ea die crucifixus fuit: sed feria quarta ieiunari dicit, quia illucescente quarta, Dominus fuit assumptus, quod non satis conuenit cum traditione Ascensionis Domini.

EAddit autem Epiphanius loco notato, per hoc ieiunium impleri, quod Dominus ait, Matt. 9. *Cum ablatus fuerit sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.* Nam etiam si hoc dictum impleatur per Quadragesimale ieiunium, ut supra ex Tertulliano notauimus: non est tamen absurdum, si per ieiunium quoque ferie quartæ & sextæ impleri dicatur, cum tam ieiunium Quadragesimæ, quam ferie quartæ & sextæ ad passionem Domini, per quam ablatus fuit à nobis sponsus, sine dubio referatur.

Addit etiam ibidem Epiphanius, si festum Natalis Domini in feriam quartam, aut sextam incidere, neque esse ieiunandum, neque à carnibus abstinendum, nisi forte ratione uoti aliquis ad ieiunium, aut abstinentiam obligetur. Quod idem postea de-

claravit Honorius Pontifex Max. cap. explicari, de obseruatione ieiuniorum.

Existunt autem de ieiunio feriæ quartæ & sextæ quæstiones Duæ, Prior est, sit ne hoc ieiunium lege sancitum, an potius in arbitrio fidelium positum. Nam can. 68. Apostolorum, & Epiphanius hæresi 75. & in compendiaria doctrina indicant, Ieiunium feriæ quartæ & sextæ per totum annum Apostolica esse lege sancitum.

Contrà autem Tertullianus in libro de ieiunio, refert Catholicos dicentes, ieiunium feriæ quartæ & sextæ passiuè currere, non sub lege præcepti, id est, permitti, non imperari. Item sanctus Augustinus in epistola octuagesima sexta scribit, Romæ frequenter ieiunari feria quarta & sexta, & Sabbato, vbi cum dicit, frequenter, indicat non semper id fieri. Sic etiam Isidorus lib. 1. de officiis diuinis, cap. 42. cum scribit, nonnullos feria sexta, per totum annum ieiunare, apertè significat id non ab omnibus fieri.

Ad Hæc, si per totum annum fideles omnes feria quarta & sexta ieiunarent ex lege: quorsum opus fuisset ieiunio quatuor temporum, quod, vt postea demonstrabimus, feriæ quartæ & sextæ, & Sabbati ieiunium continet?

DENIQUE, pœnitentibus apud veteres iniungi solebat, vt feria quarta & sexta, per totum annum ieiunarent: vt cognosci potest ex Burchardo, lib. 6. & 19. Decretorum. Non igitur fideles cæteri feria quarta & sexta, per totum annum ad ieiunia cogebantur.

Proposita quæstio ita soluenda esse videtur, vt dicamus feria quarta & sexta, per totum annum ex legis præcepto ieiunari, quoad abstinentiam à carnibus, & de hac lege intelligendum esse canonem Apostolicum, & testimonium Epiphani: Quod autem pertinet ad abstinentiam à prandio, quo modo ieiunium nominare solet Augustinus epistola octuagesima sexta non ex præcepto legis, sed passiuè, vt Tertullianus loquitur, hoc ieiunium cucurrisse. Quamvis ipse etiam Tertullianus meminisse videatur ieiunij per abstinentiam solum à carne, cum in libro de ieiunio dicit, exceptionem quorundam ciborum portionale esse ieiunium; & rursus feria quarta & sexta, à Catholicis semiieiunium plerumque seruari.

POSTERIOR quæstio est, cur in Latina Ecclesia non seruetur lex, quæ feria quarta abstinentiam à carnibus imperat. **RESPONDENDUM** videtur in Occidentali Ecclesia, magna ex parte mutatum fuisse ieiunium feriæ quartæ in ieiunium Sabbati. Scribit enim Ambrosius, siue quicumque est auctor, qui certè antiquissimus est in comment. ad caput 14. ad Rom. Alios feria quarta, alios die Sabbati carnibus abstinere. Innocentius quoque Pontifex eius nominis primus, in epistola prima sæpè repetit, feria sexta, & Sabbato ieiunandum; feriæ autem quartæ non meminit. Quod idem faciunt auctores Latini posteriores, scribit quidem S. Augustinus in epist. 86. Romæ sæpè ieiunari feria quarta & sexta & Sabbato, sed nec dicit id semper fieri, nec loquitur de portionali, sed de integro, perfectoque ieiunio.

CAPVT XVIII.

De ieiunio Sabbati.

De ieiunio Sabbati magna quæstio apud veteres fuit. Et quidem nonnulli existimarunt nefas esse die Sabbati ieiunari, excepto Sabbato Paschali.

Quam sententiam sequuti sunt Græci in Concilio, quod ipsi sextum, vel quinifextum vocant canon. 55. Contrà autem quidam Vrbicus nefas esse docuit, Sabbato non ieiunare, cuius sententiam refellit S. Augustinus, in epist. 86. ad Casulanum.

Præter has extremas sententias, sunt aliæ duæ mediæ. Nam S. Innocentius I. in epistola prima contendit, Sabbato conuenientissimè ieiunari; quod idem sensisse videtur Epiphanius in compendiaria doctrina, vbi solum excipit Dominicos dies à ieiunio Quadragesimæ. Necnon sanctus Hieronymus ad Lucinium Beticum, qui ad quæstionem sibi propositam, vtrum ieiunandum esset die Sabbati, vt Romæ, & in Hispania fieri solebat, respondit, quidem seruandam esse propriæ Ecclesiæ consuetudinem; tamen addit, *Vinam per totum annum ieiunare possemus.* Quibus verbis indicasse videtur, probari sibi vt etiam die Sabbati ieiunetur.

Contrà autem S. Ambrosius & sanctus Augustinus congruentius esse putabant, vt non ieiunaretur Sabbato, sed tamen hortabantur omnes, vt Prouinciæ suæ consuetudinem obseruarent. Vide Augustinum in epist. 86. & 118.

Cæterum sententia sancti Innocentij tandem præualuit, & ab Ecclesia Occidentali vniuersa recepta est, vt patet ex Concilio Agathensi, canone duodecimo, & Aurelianensi quarto, canone secundo. In Hispania verò etiam ante tempora Innocentij admiffa fuerat, vt perspicuum est ex Concilio Elibertino, can. 21. Et certè ratio Innocentij solidissima est. Nam quemadmodum Græci cum Latinis ieiunant in Sabbato maioris hebdomadæ, propter Christi sepulturam, & Apostolorum mœrorem: sic etiam par esset, vt ieiunarent in omnibus Sabbatis per totum annum propter eandem causam, alioqui non deberent ieiunare feria sexta propter Christi passionem, nisi in maiori hebdomada; nec deberent non ieiunare die Dominico per totum annum, sed solum in ipso die Dominicæ Resurrectionis. Nulla enim ratio reddi potest, cur in omni feria sexta liceat imitari ieiunium feriæ sextæ Paschalis, & non liceat in omni Sabbato imitari ieiunium Sabbati Paschalis. Præsertim cum in omni Dominica die imitemur gaudium Dominicæ Paschalis, & ideo nunquam in Dominica ieiunemus.

Sed respondendum est ad obiectionem, quæ fieri solet ex canone 65. Apostolorum, & ex epist. sancti Ignatij ad Philipp. vbi prohibetur ieiunium Sabbati & Dominicæ, & Christi dicitur interfector, qui Sabbato, aut Dominica ieiunauerit. **RESPONDEO** Clemens in Apostolico illo canone, & Ignatius in epist. ad Philipp. non sine magna ratione prohibent ieiunium Sabbati, exorti sunt enim illo tempore hæretici varij, qui negabant Deum verum esse illum, qui mundum condidit sex diebus, & in septimo requieuit. Vt de Simonianis refert Epiphanius, hæresi vigesima prima, & de Marcionistis, hæresi 42. vbi etiam expressè addit, Marcionistas propterea die Sabbati ieiunare solitos fuisse, ne viderentur gaudere de quiete & operibus Creatoris. Itaque in odium & detestationem horum Hæreticorum, placuit veteribus per Orientem prohibere ieiunium die Sabbati.

Possent etiam fieri, vt tam in canone Apostolico, quam in epistola Ignatij solum prohiberetur ieiunium diei Dominicæ; sed postea à Græcis posterioribus insertum fuerit nomen Sabbati. Nam S. Epiphanius optimè nouerat canones Apostolicos; quos etiam sæpè citare solet; & tamen (vt supra diximus) non excipit à ieiunio, nisi dies Dominicos.

Sed quicquid de hoc sit, Romana Ecclesia, & Occidens vniuersus longe alia de causa ieiunat Sabbato, quam Hæretici illi facerent. PRIMVM enim Sabbato ieiunamus, vel à carnibus abstinemus, vt longissimè à Iudaismo recedamus. Iudæi siquidem non ieiunant, sed epulantur in Sabbato. DEINDE, in memoriam humilitatis Domini, qui die Sabbati iacuit mortuus & clausus in sepulchro. TVM, vt imitemur Apostolos, aliosque discipulos Domini, qui cum ipsa Deipara, & sanctis mulieribus, non solum feria sexta, sed etiam die Sabbati in luctu & mærore fuerunt. DENIQUE, vt ad celebritatem Dominicæ diei per hoc ieiunium præparemur.

Refert S. Augustinus, in epist. 86. aliam causam, quod videlicet S. Petrus, cum Simone Mago decertaturus die Dominico, pridie cum tota Ecclesia, quæ in Vrbe erat, ieiunauerit, & consuetudo tam prospero euentu, eundem morem postea tenuerit. Sed hanc causam falsam esse, inquit Augustinus, perhibent plerique Romani.

CAPVT XIX.

De ieiunio quatuor temporum.

DE ieiunio quatuor temporum TRIA sunt explicanda, origo, varietas & causa.

ORIGINEM ab Apostolica traditione deducimus. PRIMVM enim id confirmat expressè S. Leo in sermone secundo de ieiunio Pentecostes, & in serm. 8. de ieiunio septimi mensis. Idem etiam auctor in sermo 7. de ieiunio decimi mensis, testatur hæc ieiunia quatuor temporum in vniuersa Ecclesia celebrari.

Quod verum esse etiam de Orientali colligitur ex sancto Athanasio, qui in Apologia pro fuga sua meminit ieiunij Pentecostes, quod est vnum ex quatuor. Cum autem in nullo Concilio Oecumenico instituta reperiantur, sequitur vt ex Apostolica traditione descendere credenda sint, iuxta regulam S. Augustini, supra citatam, ex lib. 4. de Baptismo, c. 24.

His accedit, quod Callistus Papa vicinus Apostolorum temporibus in epist. ad Benedictum, affirmat iam ante sua tempora consueuisse in Ecclesia seruari trium temporum ieiunia, à se verò additum quartum ieiunium, siue quarti temporis ieiunium. Ex quo sequitur, vt ieiunia quatuor temporum saltem per figuram intellectionis, id est, maxima ex parte ab Apostolis sint instituta.

Denique de ieiunio decimi mensis, quod est vnum ac præcipuum ex quatuor, videtur mentio fieri in Actis Apostolorum, cap. 27. in illis verbis: *Incipiebat enim periculosa esse nauigatio, quia ieiunium iam præterierat.* Neque enim exponi potest hic locus de inedia nauigantium, vt sensus sit, incipiebat periculosa esse nauigatio, quoniam qui erant in nauis ob longam inediam, viribus iam destituti erant. Nam si S. Lucas id significare voluisset, non dixisset, quia ieiunium iam præterierat, sed quia magnum ieiunium iam præcesserat. Cum autem absoluted dicat, quia ieiunium iam præterierat, loquitur de aliquo statuto, & solemnio ieiunio, ex quo tempus anni describit, vt Chrysostomus & Oecumenius in comment. huius loci affirmant.

Et confirmari potest hæc expositio ex collatione cum alio loco in eodem capite, vbi describitur ieiunium prophanum ortum ex mærore nauigantium. Ibi enim non dicitur quia ieiunium iam præterierat, sed, cum multa ieiunatio fuisset, & ipsum ieiunium

ibi vocat, cum hic *non vniuersa* appelleret. Verum est quidem à Chrysostomo & Oecumenio hunc locum exponi de solemnio ieiunio Hebræorum. Sed certè longè probabilius est, cum loqui de solemnio ieiunio Christianorum. Neque enim Hebræis sed Christianis librum Actorum scripsit sanctus Lucas, & ex ieiunio illis noto, descripsit tempus hibernum, in quo periculosa nauigatio esse solet. Videtur igitur loqui de ieiunio decimi mensis, quod semper apud Christianos celeberrimum fuit propter ordinationes clericorum. Apud veteres enim non fiebant ordinationes nisi in mense Decembri, vt Amarius testatur lib. 2. de officijs Ecclesiasticis, cap. 1. & perspicuum est ex Pontificali Damasi, vbi solum mense Decembri leguntur antiquissimi Pontifices ordinasse Presbyteros, vel Diaconos. Tempore autem ordinationis solitam fuisse Ecclesiam ieiunare, docemur in Actis Apostolorum, cap. 13. & Hæretici quoque id fatentur.

Iam verò varietas Duplex in hoc ieiunio inuenitur. PRIMVM enim trium temporum obseruabatur ieiunium. Deinde decreto Callisti quartum est additum. Præterea, nonnulli hæc ieiunia ita distribuiebant, vt Primum celebrarent prima hebdomada primi mensis, id est, Martij. SECVDVM, secunda hebdomada quarti mensis. TERTIVM, tertia hebdomada septimi mensis. QVARTVM, quarta hebdomada decimi mensis. Ita legimus in Concilio Moguntino, canone 34. & apud Rabanum, lib. 2. de institutione clericorum, cap. 24.

Alij verò, idque magis communiter, PRIMVM tempus constituiebant in prima hebdomada Quadragesimæ; SECVDVM, in hebdomada Pentecostes; TERTIVM, in tertia hebdomada Septembris; QVARTVM, in tertia hebdomada Decembris. Sic enim hæc tempora describunt Summi Pontifices, Leo primus, in sermone octauo de ieiunio decimi mensis, & Gelasius primus, in epistola prima, capite decimotertio, quauis non expressè notent hebdomadas septimi & decimi mensis, sed solum ipsos menses.

Porro causæ præcipuæ institutionis quatuor temporum Quatuor assignari possunt. PRIMA causa fuit, ne Christiani Iudæis in hac parte remissiores viderentur. Constat enim ex capite octauo Zachariæ, fuisse apud Hebræos solenne ieiunium quater in anno, id est, mense quarto, quinto, septimo, & decimo. Æquum igitur fuit, vt Christiani, qui perfectiores Hebræis esse debent, haberent etiam sua quatuor tempora quibus solemniter ieiunarent. Reddunt hanc rationem sancti Pontifices, Callistus in epistola ad Benedictum. Et Leo sermone septimo de ieiunio septimi mensis, & serm. 4. 6. de ieiunio decimi mensis.

ALTERA causa fuit propter ordinationes clericorum. Nam etiam si primi Summi Pontifices sacros ordines non conferrent, nisi mense Decembri, postea tamen crescente numero ordinandorum, institutum est, vt alijs etiam tribus temporibus sacri ordines conferrentur, vt ex epistola prima Gelasij iam citata intelligi potest.

TERTIA, vt his temporibus Deo supplicaremus pro frugibus & fructibus terræ, & pro iisdem iam perceptis gratias ageremus. Nam in iis quatuor temporibus aeris temperies maximè variatur, & fructus omnes ac fruges vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Adfert hanc rationem sanctus Leo sermone 2. 5. & 8. de ieiunio decimi mensis.

QVARTA, vt sicut habemus solenne ieiunium

singulis annis, quod est ieiunium Quadragesimæ, & ieiunium statum singulis hebdomadibus, quod est ieiunium feriæ quartæ & sextæ, vel feriæ sextæ, & sabbati: sic haberemus ieiunium aliquod singulis mensibus.

Tres autem dies, qui tribus mensibus respondent, commoditatis gratia in vnum mensem coniecerunt. Ita ieiunamus tribus diebus primi mensis, pro mense primo, secundo, & tertio. Item tribus diebus mensis quarti pro mense quarto, quinto & sexto. Tribus quoque diebus mensis septimi pro mense septimo, octavo & nono. Denique tribus diebus mensis decimi pro mense decimo, vndecimo & duodecimo. Sic Leo nos docet serm. 9. de ieiunio septimi mensis, & serm. 8. decimi mensis, & Amalarius lib. 2. de officiis Ecclesiasticis, cap. 2.

Sed obiectiones Kemnitij breuiter diluenda sunt, quas habet in quarta part. Exam. pag. 645. 646. & 686. PRIMO obijcit, quod in libro Tertulliani de ieiunio Catholici dicant, nullum esse impositum ab Apostolis iugum ieiuniorum, excépto ieiunio Paschali.

RESPONDEO, Fieri potest, vt Apostoli ieiunium quatuor temporum instituerint quidem, sed non sub lege præcepti: deinde deuotione fidelium frigescente, vel à Callisto Pontifice, vel ab alio præceptum sit additum. Quanquam (vt suprâ monui) non satis magna fides haberi potest Tertulliano in ijs libris, quos dedita opera contra Ecclesiam scripsit.

Obijcit SECUNDO, Quod sanctus Hieronymus, in epistola ad Marcellam scribit, Montanistas tres Quadragesimas ieiunare, nos autem vnam tantum, secundum traditionem Apostolorum, per reliquum autem annum ieiunare non necessitate, sed voluntate. Ex quo loco ita Kemnitius colligit: *Hieronymi ergo tempore, illa necessitas ieiuniorum quatuor temporum adhuc fuit ignota Ecclesie, sicut hæc ipsius sententia manifestè ostendit. Et infrâ: Lex igitur, quæ in Montanistis antea damnata fuerat, postea in ieiunijs quatuor temporum per metamorphosim in cultum Dei conuersa, & canonizata est.* Hæc ille.

RESPONDEO, Non ieiunabant Montanistæ quatuor tempora, sed tres Quadragesimas, vel duas hebdomadas, vt Tertullianus indicare videtur. Proinde nihil habet simile ieiunium quatuor temporum cum ieiunijs Montanistarum. Sed Kemnitio licet non solum ex dissimilibus similia, sed etiam ex diuersis eadem facere, sicut ex quolibet antecedente quodlibet consequens pro arbitrato colligere. Sanctus enim Hieronymus non dicit, per reliquum annum nulla esse ieiunia per legem Ecclesiasticam constituta, sed dicit, licitum esse vnicuique per totum annum, si voluerit, ieiunare. Nam cum dixisset, Montanistas tres Quadragesimas habere ex præcepto Montani, ne videretur improbare frequentia ieiunia, subiungit: *Non quod per totum annum (excepta Pentecoste) ieiunare non liceat; sed quod aliud sit necessitate, aliud voluntate munus offerre.*

Vbi DVO dicit, PRIMO licitum esse per totum annum (excepta Pentecoste) id est, præter quinquaginta dies qui sunt à Pascha ad Pentecostem, ieiunare. DEINDE addit, non esse tamen Ecclesiam cogendam ad ieiunium totius anni; vel trium Quadragesimarum, quod esset multis planè intolerabile. Alioqui enim S. Franciscus, & alij, non tres, sed quinque vel sex Quadragesimas ieiunabant, sed voluntate, vt S. Hieronymus monet esse faciendum, non necessitate.

Obijcit TERTIO, Quod ieiunium quatuor temporum natum sit ex praua æmulatione Iudæorum, qui ieiunium in quatuor mensibus obseruabant. DVO sunt autem, quæ in hac imitatione Kemnitius reprehendit; PRIMO, quod ieiunia illa quatuor temporum Iudæi non ex præscripto Domini, sed ex proprio capite instituerint, & ideo Zachariæ 8. ab ipso Domino per Prophetam reprehensa fuerint. Secundo, quod non liceat Christianis ritus Iudaicos imitari, etiam à Domino institutos & imperatos vt ait Apostolus ad Galat. cap. 4.

RESPONDEO, falsum est, ieiunia quarti, quinti septimi & decimi mensis à Deo per Prophetam reprehensa fuisse. Nam vt etiam supra ostendimus, quod Dominus ait Zachariæ 8. ieiunia illa conuertenda esse in solennitates præclaras, ad laudem eorum ieiuniorum pertinet. Significat enim Dominus, si ieiunia illa piè seruentur, fore vt aliquando id præmij accipiant, vt conuertantur in solennitates præclaras, atque in hunc sensum hunc locum exponunt Hieronymus, Theodoretus & Rupertus in commentario, & S. Leo serm. 7. de ieiunio septimi mensis, & serm. 4. de ieiunio decimi mensis.

Porro ieiunia quatuor temporum ex pia & sancta Iudæorum veterum imitatione orta esse, cum sancto Leone asserere non veremur, nam etiam si ceremonias Iudæorum, quæ significationis causa instituta fuerant, imitari non possumus, tamen exercitia virtutum communia sunt vtrique Testamento, & magis conueniunt Christianis, quàm Iudæis, & ideo pati non debemus, vt in eiusmodi rebus ab illis superemur.

S. Augustinus in epist. 86. ad Casulanum, scribit, ieiunare bis in Sabbato, vt Phariseus Luc. 18. bonum esse Christiano, modò sine superbiæ tumore id faciat. Sicut etiam decimas fructuum omnium dare, quod Iudæi faciebant, optandum esse dicit, vt à Christianis omnibus impleatur. Itaque Aëriani apud Epiphanium sic ratio cinabantur: Hebræi stata ieiunia habuerunt, igitur nefas est, stata ieiunia habere Christianos. Contra sanctus Augustinus, & sanctus Leo, Hebræi ieiunabant bis in Sabbato, & rursus in quatuor mensibus certa ieiunia obseruabant, igitur æquum est, vt Christiani ieiunent feria quarta, & sexta, & ieiunia quatuor temporum religiosè custodiant. Cum igitur ex eodem antecedente contrarias conclusiones Hæretici veteres, & veteres Patres collegerint, Dialecticam Hæreticorum Lutheranis relinquentes, nos Patrum sanctorum Dialecticam amplectemur.

At (inquit Kemnitius) B. Ioannes Chrysostomus notat, Apostolum ad Galat. 4. reprehendisse Christianos, qui non solum integros Iudaicos ritus, sed etiam partem aliquam eorum rituum seruant. Non igitur licet Christianis vilo modo seruare Iudaicum ritum de ieiunio quatuor temporum.

RESPONDEO, Loquitur beatus Paulus, & cum eo sanctus Ioannes Chrysostomus, de ceremonialibus præceptis, quæ nec ex toto, nec ex parte seruanda sunt: qualia sunt circumcisio, sacrificia pecorum, neomeniæ, Sabbata & alia id genus: at ieiunia, elemosynæ, preces, planè moralia sunt. Præterea non eodem ritu, neque eodem tempore, neque ob eandem causam ieiunia quatuor temporum à nobis, & à Iudæis seruantur.

CAPVT XX.

De ieiunio Aduentus.

ADVENTVM Domini ieiunio celebrari consueuisse in Romana Ecclesia, perspicuum est TVM ex Innocentio III. capite, Consilium, de obseruatione ieiuniorum: TVM ex ipso ritu Romani Breuarij, in quo preces illæ ad singulas Horas ponuntur legendæ in feriis Aduentus, quæ propriæ sunt eorum dierum, quibus ieiunatur. Cæterum, hoc ieiunium non tam ex præcepto, quàm ex Consilio, aut voto, à multis seruari, Ecclesiæ vsus satis aperte testatur. Vide Radulphum de Riou in libro de Canonum obseruantia, cap. 17.

CAPVT XXI.

De ieiunio Rogationum.

IEIUNIUM tridui ante ascensionem, vnà cum Litanis, instituisse fertur S. Mamertus Viennæ Episcopus, vt scribit Gregorius Turonicus, lib. 2. historiæ Francorum, cap. 34. propter multa incommoda, quæ à terræ motibus, & luporum incursionibus, eo tempore Gallia patiebatur. Deinde, idem ieiunium receptum legimus in Concilio Aurelianensi I. cap. 29. Romæ quoque olim idem ieiunium ita seruabatur, vt cibus solum quadragesimalibus populis vesceretur, vt intelligi potest ex Ord. Romano, vbi agitur de Rogationibus.

Videtur tamen non tam præcepti, quàm consilij fuisse eiusmodi obseruatio, cum satis constet, inter Pascha, & Pentecostem, ex antiquissima consuetudine nulla ieiunia imperari. Sicubi tamen hoc ipsum ieiunium præcepti lege seruatur, non est improbandum. Seruanda est enim in eiusmodi rebus Ecclesiæ consuetudo, vt Hieronymus in epistola ad Lucinium, & Augustinus in epistola ad Casulanum monent. Extat de institutione Rogationum insignis sermo sancti Alchimi Auiti, qui fuit tertius à sancto Mamerto, Viennensis Episcopus.

CAPVT XXII.

De ieiunio Vigiliarum, & Stationibus.

PRIDIE magnorum festorum non solum vigiliis agi per noctem, sed etiam interdiu ieiunari, testis esse potest sanctus Bernardus in serm. de vigilia sancti Andree. Item Burchardus lib. 13. decr. cap. 16. & Innocentius III. cap. 1. & 2. de obseruatione ieiuniorum.

Quoniam autem stationis nomen, cuius frequens est mentio apud veteres, partim cum vigilia, partim cum ieiunio conuenit, ita vt sæpe pro alterutro accipi videatur, operæ pretium esse duxi breuiter explicare, quid sit propriè statio.

Igitur non desunt, qui stationem existiment dictam esse à stando, quod fieret diebus Dominicis, quibus diebus Christiani non nisi stantes orabant, iuxta illud Tertulliani in libro de corona militis, die Dominico ieiunare nefas ducimus, & de geniculis adorare. Sed falsam esse hanc opinionem ex illo ipso libro de corona militis intelligi potest. Docet enim TERTVLLIANVS, nunquã fieri stationem die Dominico, *tan, inquit, & stationes, aut alij magis faciet, quàm Christo, aut die Dominico, quando nec Christo.*

A Igitur statio propriè nihil aliud erat, nisi vigilia diurna tempore solemnis ieiunij. Cum enim publicè, & solemniter ieiunabatur, vigilabant in orationibus, & eiusmodi vigilia, & quasi excubia orantium & ieiunantium, stationes dicebantur, vocabulo desumpto ex militia, vt Tertullianus monet in libro de oratione.

Hoc autem intererat inter stationem, vigiliam, & ieiunium, propriè loquendo, quod IEIUNIUM fieri poterat noctu & interdiu, VIGILIA solum de nocte, STATIO solum de die. Atque idcirco diximus stationem non esse vigiliam simpliciter, sed vigiliam diurnam. Item ante omnem vigiliam, nocturnam videlicet, præcedebat statio & ieiunium: non autem post omnem stationem, & ieiunium sequebatur vigilia.

B Et quidem quod statio esset vigilia diurna, & distingueretur à ieiunio, & oratione, perspicuum est ex TERTVLLIANO in libro de fuga in persecutione: *Quando, inquit, Deus magis creditur, nisi cum magis timeatur, nisi tempore persecutionis? tunc Ecclesia in attonito est, tunc ex fide in expeditione sollicitior, & disciplinatio in ieiuniis, stationibus, orationibus.* Vbi per stationem intelligit vigiliam ieiunantium, & orantium. Quod autem interdiu solum fieret statio, ac per hoc esset vigilia diurna, docet idem Tertullianus in libro secundo ad vxorem: *Si statio, inquit, facienda sit, maritus de die conueat ad balnea.* Item in libro de ieiunio dicit, stationem finiri hora nona, aut ad vesperam. Simul enim ieiunium soluebatur & statio.

C Fieri autem solitam stationem in diebus solemni ieiuniorum, docent Isidorus libro sexto Etymolog. cap. vltimo, & Rabanus libro secundo de Institutione Clericorum, capite decimo octauo, & ante hos omnes Tertullianus in libro de ieiunio, vbi dicit, stationes fieri feria quarta & sexta, & tam diu stationem durare, quamdiu non soluitur ieiunium. Imò propter hanc coniunctionem stationis cum ieiunio, ieiunium ipsum aliquando statio nominatur. Sic enim accipit stationem Tertullianus in libro de oratione, extremo, vbi quærit, verum per sumptionem Eucharistiæ soluat statio; cum quærere vellet vtrum Eucharistia sit talis cibus, vt eo sumpto, dicatur solutum esse ieiunium. Sic etiam accipit Cassianus Collat. 21. cap. 29. cum dicit, stationem ieiunij relaxari.

Porro sanctus Gregorius stationibus certa loca attribuit in vrbe Romana, & ipse ad ea loca veniens tempore stationum viginti homilias in variis Ecclesiis declamauit, vt scribit Ioannes Diaconus in vita sancti Gregorij libro secundo, cap. 18. & lib. 4. cap. 74. Fortè etiam ipse primus fuit, qui stationes à ieiunio separauit, & in Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ, & in ipsa etiam Dominica Resurrectionis stationes fieri voluit, cum antea solum in diebus ieiuniorum fieri solerent. Legimus enim in Antiphonario, & Sacramentario S. Gregorij annotatam stationem ad Lateranum prima Dominica Quadragesimæ, & in ordine Romano in ipso principio, mentio fit stationis in die festo.

D Vfus autem, qui nunc viget, Ecclesias, vbi statio celebratur, inuisendū, ac breuiter orandi, ex necessitate, ortus videtur. Quoniam enim Basilica illa ad quam statio fortè indicitur, tantam populi multitudinem capere non potest, & omnes tamen stationis participes esse cupiunt, ideo consuetudo introducta est, vt nunc isti, nunc illi locum stationis adirent.

Itaque Duabus in rebus differt statio huius tem-

poris ab antiqua. PRIMVM enim iisdem homines tunc in oratione perseverabant à summo mane, vsque ad horam nonam, aut vesperras: nunc autem alij, atque alij vigilant in orationibus, sic tamen, vt à summo mane, vsque ad vesperam nunquam desint, qui in Ecclesia DEVM precantur, aut laudent. DEINDE, tunc stationem semper cum ieiunio, & oratione iungebant: nec ante statio, quam ieiunium soluebatur: nunc autem non solum diebus ieiuniorum, sed etiam in festis, & Dominicis, nec solum ante cibum, sed etiam post cibum statio celebratur.

CAPVT XXIII.

De diebus quibus ieiunari non debet.

PER OMNES Dominicas, & spacium illud, quod est inter Pascha & Pentecostem, & in die Natalis Domini ieiunandum non esse, communi consensu Patres docent.

TERTULLIANVS in libro de corona militis: Die Dominico, inquit, ieiunari nefas ducimus.

S. AMBROSIVS in epistola 83. Dominica, inquit, ieiunare non possumus, quia Manichæos etiam ob istius diei ieiunia iure damnamus. Hoc est enim in Resurrectionem Christi non credere, si legem qui ieiunij die Resurrectionis indicat.

S. HILARIUS præfatione in Psalmos: Et hæc, inquit, Sabbata Sabbatorum ea ab Apostolis religione celebrata sunt, vt his Quinquagesima diebus nullus neque in terram, strato corpore adoraret, neque ieiunio festiuitatem spiritualis huius beatitudinis impediret. Quod id ipsum extrinsecus etiam in diebus Dominicis est constitutum.

S. EPIPHANIVS in compendiarie doctrina: Per totum, inquit, annum hoc seruat in eadem sancta Catholica Ecclesia, quarta, inquam, & Profabbato vsque ad horam nonam, excepta sola Pentecoste, per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium est imperatum. Et infra: At verò Dominicas omnes delicatas ducit sancta hæc Catholica Ecclesia, & communionem mane perficit, & non ieiunat: Inconsentaneum enim est in Dominica ieiunare. Et ibidem: Neque, inquit, in die Epiphaniarum, hoc est, Apparitionis, & Aduentus, quando natus est in carne Dominus, ieiunare licet, etiam si contingat, vt sit quarta, aut Profabbatum. Quo loco nomine Epiphaniarum, more Græco, non intelligit, nisi ipsum diem Natalis Domini.

Vide similia apud Hieronymum in epistola ad Lucinium Beticum, in epistola ad Marcellam contra Montanum, & in epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis, apud Augustinum in epistola 86. ad Casulanum, & in epistola 119. ad Ianuarium, capite decimoquinto, apud Leonem in epistola 91. ad Turbium. Item in Concilio Gangrensi, canone 18. Carthaginensi IV. can. 64. Bracharensi I. can. 4. & aliis.

Causa huius prohibitionis fuit, tum ob lætiam, & celebritatem horum dierum: tum maxime in odium Hæreticorum, qui his potissimum diebus, dedita opera, ieiunabant. Montanistæ enim vnam Quadragesimam, siue vnam hebdomadam (varie sunt enim de hac re sententiæ) post Ascensionem Domini, & aliam post Pentecostem ieiunabant, vt S. Hieronymus refert in commentario ad cap. 9. Matth. Manichæi ieiunabant ordinariè die Dominico, ne viderentur de Christi resurrectione gaudere, quam falsam fuisse sibi persuaserant, vt ex Ambrosio in epist. 83. & ex Augustino in epistol. 86.

A cognosci potest. Eustathius & Aërius, atque eorum discipuli, diem Dominicum ad ieiunium potissimum deputabant; & contra iisdem Aëriani hebdomadam sanctam conuiuuii & potationibus celebrabant, vt Eustathius hæresi 79. & Socrates libro secundo historia, cap. 33. testes sunt. Denique Priscillianistæ die Dominico, & in Natali Domini ieiunare solebant, vt sanctus Leo testatur in epist. ad Turbium, iam citata.

Sed illud hoc loco non est omittendum, ieiunium in his diebus non simpliciter esse prohibitum, sed solum si quis VEL ex superstitione ieiunet, vt Montanistæ faciebant; VEL errore, vt Manichæi & Priscillianistæ, VEL ex contemptu Ecclesiæ, vt Eustathiani, & Aëriani, VEL denique cum scandalo aliorum, vt si quis vnam hebdomadam ieiunaturus, eligat sine vlla rationabili causa hebdomadam paschalem; aut vnum diem ieiunaturus, eligat diem Natalis Domini, aut Dominicam. Alioqui enim si quis vel ad tentationem carnis superandam, vel causa morbi corporalis curandi, vel quia vouit ieiunium totius anni, aut integri mensis, non peccabit, si Paschali tempore, vel in Dominica die, aut etiam in Natali Domini ieiunauerit. Atque hoc ipsum Epiphanius, Hieronymus & Augustinus locis notatis docent.

Ex quo intelligimus, non debere consuetudinem eorum reprehendi, qui (vt supra diximus) in diebus Rogationis ieiunant: Et multò minus consuetudinem Ecclesiæ vniuersæ, quæ vigiliam Pentecostes similiter ieiunat. Cuius ieiunij meminit Ordo Romanus vbi describit officium vigiliæ Pentecostes. Ordinem autem Romanum antiquissimum esse, vel ex eo perspicitur potest, quod ab Alcuino & Amalario passim citatur.

Quod autem in Concilio Salegustano apud Gratianum dist. 76. can. de ieiunio, dicitur, Ieiunium quattuor temporum non debere celebrari immediatè ante Pentecostem, quia ieiunium, & vigilia simul celebrari non debent: non significat, in vigilia Pentecostes non esse ieiunandum, sed non debere in vnum diem concurrere duo ieiunia, ieiunium videlicet vigiliæ, & ieiunium quattuor temporum. Sicut etiam paulò infra monet, vt ieiunium decimi mensis celebratur in Sabbato præcedente vigiliam Natalis, ne ieiunium illud concurrat cum Vigilia, id est, cum ieiunio Vigiliæ Natalis.

CAPVT XXIV.

De fraudibus & corruptelis Kemnitij in historia antiquitatis.

IN EXTREMA disputatione de ieiunio, miræ calliditate KEMNITIVS per modum simplicis historiae se demonstraturum profertur, nunquam defuisse, qui leges ieiuniorum, aut opinionem meriti, & satisfactionis in ieiuniis suscipiendis obtrudere voluerint: sed nunquam etiam defuisse sanctos viros, qui magno zelo contra eiusmodi superstitiones opiniones, & leges pro Evangelica libertate & sinceritate pugnauerint.

Hanc eius historicam observationem duabus de causis non existimaui mihi esse accuratè refellendam. Nam hoc ipso tempore, magno Ecclesiæ bono CÆSAR BARONIVS, (nunc S. R. E. Cardinalis meritis vir optimus, & sine controversia eruditissimus, Annales suos Ecclesiasticos partim edidit, partim iam edit, ex quibus omnes omnium hæreticorum

fraudes & corruptela, quæ ad historias pertinent, nullo negotio deprehendi & profligari poterunt. Et ego in superioribus capitibus ad omnia illa respondi, quæ speciem aliquam difficultatis habere posse videbantur, vt de Montano, de Alcibiade, de Spiridione, & similibus. Solum igitur hoc loco summam historicæ obseruationis ipsius perstringam, & fraudes, atque calumnias in ea obseruatione insertas patefaciam, ac refellam.

Igitur in quarta parte Examinis pagina 542. & sequentibus, septemdecim capita proponit. In PRIMO capite expositurum se dicit, quales superstitiosas opiniones de ieiunio Scriptura taxet & refutet. DEINDE, adducit loca Isaiæ 58. & Zachariæ 7. & 8. Item Matthæi 9. ad Colossenses 2. & 1. ad Timotheum quarto, ad quæ omnia supra responsum est. Addit etiam locum Euangelij Matthæi sexto: *Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, &c.* Et Lucæ 18. *Ieiuno bis in Sabbatho.* Vbi reprehendi dicit opinionem Phariseorum, qui sanctitatem & pietatem putabant sitam esse in extrema obseruatione traditionum de ieiuniis, & opinionem habebant meriti, & iustitiæ coram Deo ex ieiuniis à Deo non præceptis.

AT more suo Scripturas deprauat. Dominus enim Matthæi sexto non negat sanctitatem aliquam, & pietatem sitam esse in externa obseruatione ieiunij à Deo non imperati, sed à maioribus traditi: nec enim ignorabat laudatos à Deo Rechabitas, qui ex traditione patris sui à vino perpetuò abstinebant, & Nazaræos, qui abstinentiam à Deo non imperatam spontè vouebant: Sed vituperat hypocritas, qui gloriæ humanæ causa videri volunt magis ieiunare & abstinere, quam faciant. Ideo enim, vt Dominus ait: *Exterminant facies suas, vt pareant hominibus ieiunantes.* Lucæ autem 18. non reprehenditur Phariseus, quod ieiunaret bis in Sabbatho, neque etiam quod ieiunium non imperatum, meritorium esse crederet, vt re vera meritorium erat ieiunium eorum, qui Num. 30. illud spontè suscipiebant, & Deo, vt rem illi gratam promittebant; sed quod ex bono opere in superbiam efferretur, aliosque contemneret, vt ex ipsius parabolæ conclusione colligitur.

In SECUNDO capite narrat ritus Gentilium circa ieiunia, ex Hieronymo contra Iouinianum, ex Volaterrano lib. 13. Anthropologiæ, capite 4. ex Alexandro ab Alexandro lib. sexto, cap. 2. & lib. 4. capite 7. & 17. ex Rauisio & Polidoro. Ex quibus ritibus colligit, à spiritu dæmoniorum, profectam esse opinionem, quod ipsum opus operatum ieiunij præcipuè verò abstinentia à quibusdam cibis sit cultus Dei.

SED hæc multa sunt errata Kemnitij. PRIMVM aut ignorat, quid sit opus operatum, aut opus operatum ieiunij apud Catholicos cultum Dei esse mentitur. Nullum enim Catholicorum protulit, aut proferet, qui ita desipiat.

DEINDE, socium se Iouiniano Hæresiarchæ adiungit, dum nobis Gentilium abstinentiam obijcit, vt meritum ieiunij oppugnet. Sic enim & Iouinianus apud sanctum Hieronymum libro secundo obijciebat: *De ciborum sibi placet abstinentia, quasi non & superstitio Gentilium Cosum matris Deum obseruet & Isis.*

TERTIO, non intelligit, cur à sancto Hieronymo Gentilium exempla in causa ieiunij adferantur. Rectissime enim probat sanctus Hieronymus exemplis Gentilium naturali lumine rationis cognosci posse vtile esse ieiunium ad sapientiam acquiren-

dam, & passiones animi cohibendas.

QUARTO, non rectè colligit ieiunium & abstinentiam à certis cibis non esse cultum Dei, quia Gentiles res easdem cultû Dei esse censabant. Nam si licet ita ratiocinari, probabimus etiam oratione, sacrificiis, templis, votis, Deum non posse coli, quia Gentiles his omnibus rebus Deum coli existimabant. Errabant igitur Ethnici, quòd ieiunia propter falsos Deos suscipiebant, vt etiam quòd falsos Deos inuocarent, eisque templa & aras erigerent: at non errabant, quod Deo non solum orationes, templa, altaria, sacrificia, sed etiam ieiunia placere arbitrabantur.

DEINDE, cum Scriptura diuina manifestè Kemnitius pugnat, cum à spiritu dæmoniorum opinionem illam profectam esse affirmat: quæ abstinentiam à certis cibis cultum Dei facit. Nam (vt supra ostendimus) Spiritus Dei abstinentiam à certis cibis, aut à vino, cultum Dei esse testatur, cum dicit, placere Deo vota Nazaræorum, qui à vino se abstinebant. Item vota aliorum, qui abstinentiam aliquam Deo pollicebantur, & cum Annam viduam orationibus, & ieiuniis Deo seruisse confirmat. Vide Num. 6. & 30. & Luc. 2.

In TERTIO capite dissentit de abstinentia Essæorum, ac PRIMVM S. Hieronymum redarguit, quod scripserit in secundo libro aduersus Iouinianum, Essæos, teste Iosepho, à vino & carnibus abstinere solitos. Id enim Iosephum nusquam testari Kemnitius dicit.

AT Iosephus libro secundo de bello Iudaico, capite septimo, describens prandium Essæorum, siue (vt ipse loquitur) Essæorum, scribit, Essæanis in cibum nihil aliud apponi, nisi panem & vasculum vnum cum edulio. Et passim laudat in eis continentiam, sobrietatem, & victus, ac vitæ simplicitatem. Iraque non male sanctus Hieronymus ex verbis Iosephi collegit, Essæos à vino & carnibus abstinere, præsertim cum existimauerit eosdem esse, qui à Philone & Iosepho laudentur. Quos enim Philo laudat, certum est, perpetuò à vino & carnibus abstinuisse.

DEINDE, Kemnitius cum negare non posset, eos, quos Philo insigni libro cõmendat fuisse Christianos, & ieiunia, atque abstinentiam à certis cibis, vt res Deo gratas studiosissimè coluisse, dicit, hoc eorum institutum non fuisse Apostolicæ traditionis, sed reliquias veteris fermenti Essæorum, quod ipsis etiam ad fidem Christi conuersis adhæsit. Id autem probat, quia Sozomenus libro primo, cap. duodecimo, Nicephorus libro secundo, capite 15. & Sophronius in vita Marci dicunt, eos, quos Philo laudat, Hebræos fuisse ad Christum conuersos, & adhuc iudaizare solitos. Addit PRÆTEREA, si quis conferat cap. 2. epistolæ ad Colossens. cum vita, & institutis Essæorum, eum planè perspecturum, ab Apostolo Paulo notari; ac reprehendi eiusmodi vitam & instituta.

AT Kemnitius PRIMVM secum ipse pugnat, cum velit institutum abstinendi à carnibus, & vino esse reliquias fermenti Essæorum, & tamen paulò antè scripserit, non colligi ex Iosepho, quod Essæni à vino & carnibus abstinuerint. Non enim Essæorum instituta aliunde melius, quam ex Iosepho discere possumus.

DEINDE Sozomenus, Nicephorus & Sophronius, quibus auctoribus Kemnitius nititur, contra ipsum manifestè pugnant. Nam Sozomenus & Nicephorus miris laudibus efferunt institutum eorum, de quibus loquitur Philo, & sanctum sine du-

bitatione appellant. Proinde cum dicunt, eos Iudaizasse, non loquuntur de ieiunio & abstinentia, quæ sunt communia Iudæis cum Christianis, sed de ritibus propriis Iudæorum, ut de custodia Sabbati, Circumcisione, & similibus rebus. Sophronius autem tum in vita Marci, tum in vita Philonis, & Nicephorus loco notato, difertis verbis docent, eos, quos Philo tantoperè laudat, discipulos fuisse sancti Marci Euangelistæ, & ab ipso institutum illud vitæ ieiunia & abstinentiam didicisse. Quare non reliquæ fermenti Essenorum, sed Apostolica doctrina erat, si Sophronio & Nicephoro credimus, illa, quam Philo commendat.

Sed in eo potissimum stultitia Kemnitij se prodit, quod Sozomenum, Nicephorum, & Sophronium, Eusebio & Hieronymo, quasi opponit, cum tamen Sozomenus & Nicephorus Eusebium sequantur, & Sophronius id ipsum scribat Græcè, quod Hieronymus scripsit Latine.

Quod attinet ad collationem capitis secundi ad Colossenses, cum libro Philonis de vita contemplatiua supplicum: nemo inquam iudicabit, ab Apostolo reprehendi vitam illorum, quos laudat Philo, nisi sensum iudicandi corruptum, ac deprauatum habeat, nisi fortè probabile sit ab Apostolo Paulum Marcum Euangelistam reprehendi. Marci enim sectatores fuisse, quos Philo laudibus celebrat, non solum Sophronius & Nicephorus, sed etiam Hieronymus, Epiphanius, Cassianus, Beda, & alij docent. Vide quæ scripsimus in libro de Monachis, cap. 5.

In capite QUARTO probat, adulterinos libros esse constitutiones & canones Apostolicas, librum Pastoris, & Abdiam de vitis Apostolorum, in quibus multa leguntur de ieiunio, & abstinentia à certis cibis.

SED laborem differendi de his libris Kemnitius omittere potuisset. Non enim desunt Ecclesiæ Catholicæ plurimi alij libri sanctorum Patrum certi & indubitati vnde traditiones Apostolicæ probari possunt. De constitutionibus & canonibus Apostolorum multa scripsit noster Turrianus. Sanctus Epiphanius in hæresi Audianorum dicit quidem, constitutiones Apostolicas non ab omnibus recipi, tamen addit, nihil in eis, nisi verum & sanum contineri. Liber Pastoris non est quidem canonicus, sed potius Apocryphus, quod attinet ad auctoritatem Scripturæ diuinæ: tamen utilis ab omnibus ferè Patribus iudicatus est, ut patet ex Tertulliano in libro de oratione, Origene lib. 10. in epist. ad Romanos, Irenæo lib. 4. cap. 37. Clemente Alexandrino lib. 6. Stromat. Athanasio in libro de decretis Nicænæ Synodi, Eusebio lib. 3. histor. cap. 3. Hieronymo in libro de viris illustribus in Hermete, Ruffino in explicatione Symboli, Cassiano Collat. 12. cap. 12. Quare temerè Kemnitius hunc librum ut contrarium litteris Apostolicis improbat. Librum Abdiam supposititium esse, viri docti etiã apud nos censent. Ego certè nullum ab eo testimonium petij, ut nec ex libro Pastoris.

In QUINTO capite disputat de causa, cur vetus Ecclesiæ paschale ieiunium, & feriæ quartæ & sextæ aliquando seruauerit, salua Evangelica libertate. SED respondimus supra, tum in capite de origine Quadragesimæ, tum in capite de ieiunio feriæ quartæ & sextæ, vbi demonstrauimus falsas & ineptas causas Kemnitium reddidisse.

In SEXTO capite profert testimonia Ignatij & Irenæi, & historiam Attali, & Alcibiadis contra meritum & necessitatem ieiunij. Sed hæc omnia excussimus

A supra in propriis locis, vbi differuimus de lege ieiunij, & de utilitate ieiunij.

In SEPTIMO & OCTAVO capite tractat historiam Tatiani & Montani, & multa ex Tertulliano adducit, ad quæ omnia supra respondimus. VNVM est hoc loco NOTANDUM, grauitè, & non semel sanctum Epiphanium à Kemnitio reprehendi, pag. 396. & 605. quod scripserit, Montanistas abstinere à cibis, non disciplinæ gratia, non maioris virtutis, non præmiorum & coronarum, sed quod ea quæ à Domino facta sunt, abominabilia iudicent. Sed certè non Epiphanius Montano, sed Kemnitius Epiphanio fallum affingit. Epiphanius enim illa quæ citat Kemnitius non de Montanistis, sed de alijs hæreticis scribit, ut perspicuum erit, si quis locum Epiphaniij diligenter inspiciat.

In NONO, DECIMO, & VNDECIMO capite, producit in medium loca quædam Origenis, historiam Eustathij & Spiridionis, quæ sunt à nobis tractata suis locis.

In DVODECIMO & DECIMOTERTIO capite docet, circa annum Domini CCCC. cæpisse in Ecclesiâ inuehi leges ieiuniorum, cum opinione necessitatis & meriti, per Basilium, Ambrosium, Epiphanium & Hieronymum: & simul Aërium & Iouinianum excusat; Epiphanium & Hieronymum accusat. Hic verò gratias agimus Kemnitio, quod lumina illa Ecclesiæ, tam Occidentalis, quàm Orientalis nobis tam promptè liberalitèrque concedat. Existimamus enim neminem esse debere tam stultum, qui non magis fidem habere velit sanctissimis illis viris, Basilio, Ambrosio, Epiphanio & Hieronymo, quàm Luthero, Caluino, Philippo, Kemnitio. Neque mitamur, si Kemnitius, cum planè sit Aërianus & Iouinianista, parentes suos defendere vtcumque voluerit.

SED illud malè haberet fortasse, ipsum etiam Aërium, quod falsò commetero eum defendere conatus sit. Dicit enim Kemnitius, Aërium, cum improbauit stata ieiunia, non tam Ecclesiæ Catholicæ, quàm Eustathij leges ieiuniorum improbare voluisse. At quauis Aërius & Eustathius quibusdam in rebus dissenserint, tamen in hac re inirritè consentiebant. Nam ipse Eustathius stata ieiunia ferre non poterat, ut ex Concilio Gangrensi, & historia Socratis supra probauimus.

DENIQUE quanta temeritas est, ut velit Kemnitius, qui heri natus est, maiorem sibi fidem haberi in intelligentia hæresis Aërianæ, quàm sancto Epiphanio, qui primus hanc hæresim exposuit, & ipso Aërio viuente scripsit? quemadmodum etiam valde ineptè fingit, dubium esse, quid Iouinianus fenserit, quasi non satis apertè id sanctus Hieronymus exposuerit in libris aduersus Iouinianum, quos sanctus Augustinus in epist. 29. lucidissimos, suauissimos & præclarissimos vocat.

E IN DECIMOQUARTO, DECIMOQUINTO, & DECIMOSEXTO capite producit, tanquam defensores libertatis Christianæ in vsu ciborum, Augustinum, Prosperum & Primasium Latinos; Chrysostomum, Cyrillum, Theodoretum & Socratem Græcos; eosque cum Basilio, Epiphanio, Ambrosio & Hieronymo aduersa fronte committit. Quasi credibile sit sanctum Augustinum, Prosperum & Primasium à sancto Ambrosio & Hieronymo; Chrysostomum, Cyrillum, & Theodoretum à sancto Basilio & Epiphanio tam apertè, ut Kemnitius fingit, dissentire potuisse. Expertus erat Kemnitius, summos principes nouatorum, Lutherum, Zyvinglium, & alios inter se de primariis fidei nostræ capitibus digla-

diari solitos: Itaque idem censuit sanctis Patribus accidisse.

Sed longè aliud scribit de Concordia Catholicorum Patrum in dogmatibus fidei. S. Augustinus in primo & secundo libro aduersus Iulianum. Et ea quæ nos suprâ ex Augustino & Chrysostomo citauimus, satis ostendunt, eos cum Basilio, Ambrosio, Epiphano & Hieronymo mirificè consensisse. Si quid autem obscuritatis erat in auctoribus, quos Kemnitius citat, suprâ in locis propriis explicatum est: multa verò de industria prætermisi, quod nihil omnino difficultatis haberent.

In DECIMO SEPTIMO capite scribit Kemnitius ab anno Domini CCCCLX. cum non essent, qui contradicerent, extinctis videlicet luminaribus Ecclesiæ, superstitiones leges & opiniones de ieiunio per Pontificum, & Conciliorum decreta cumulatæ fuisse, donec Scholastica Theologia inde extracta est. Profert autem S. Leonis Magni multa loca pro ieiunio, item S. Gregorij, S. Bernardi, & aliorum.

At si diuina prouidentia per annos CCCCLX. semper aliquos excitauit, qui superstitiones reprimerent: cur non etiam postea id fecit? Desuit ne

A Spiritui sancto sapientia, aut potentia? An verò Ecclesiam suam omnino deseruit? An fortè impedire non potuit, quo minus portæ inferorum aduersus Ecclesiam præualerent? Et, si luminaria quædam extincta sunt, non poterat alia rursus accendere? Cur igitur non potius dicimus, S. Leonem, S. Gregorium, S. Bernardum fuisse quoque magna Ecclesiæ luminaria, & nihil diuersum ab antiquioribus Patribus docuisse: Nec fuisse alios, qui legem & meritum ieiunij oppugnare tentauerint, nisi manifestos hæreticos, Eustathium, Aërium, Iouinianum? Nam si defensores illi, quos Kemnitius fingit, libertatis euangelicæ à Deo excitati fuissent, continuasset sine dubio Deus opus suum. Nec permisisset luminaria omnia Ecclesiæ ita extinguere, vt per annos mille & centum, portæ inferi aduersus Ecclesiam præualerent.

B Quare maximum præiudicium causæ suæ Kemnitius fecit, cum tam apertè confessus est, ab anno CCCCLX. S. Leonem, S. Gregorium, & quot fuere deinceps Ecclesiæ Doctores, & pastores legem ieiunij, & opinionem cultus, ac meriti, nemine contradicente tradidisse.

LIBER TERTIUS.

DE ELEEMOSYNA.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Eleemosyna.

DE ELEEMOSYNA VIX vllæ sunt controuersia cum hæreticis nostri temporis, tamen de ipsa quoque nobis differendum esse censuimus, nec videlicet eam à ieiunio & oratione disiungeremus. Sequemur autem in hac tota disputatione vestigia S. Thomæ, & ea quæ ipse docet, in 2. 2. q. 32. vel pleniora efficere conabimur, vel clariora.

Igitur de eleemosyna Octo capita tractanda esse videntur. Quid sit eleemosyna. Quæ sint, & quot genera eleemosynæ. Quis sit eius fructus & finis, Sitne præceptum aliquod de eleemosyna faciendâ. Quibus ex rebus corporalis eleemosyna fieri debeat: vbi de male partis, de superuacaneis, de necessariis opibus differetur. A quo sit eleemosyna faciendâ. Cui sit faciendâ. Qua ratione & modo sit faciendâ.

Ac vt à definitione incipiamus, Eleemosyna definiti potest. *Opus quo datur aliquid indigenti ex misericordia.* Est enim eleemosyna propriè actus misericordiæ, quæ virtus miseriam respicit, vt eam tollat, ac per hoc relationem habet ad indigentem & miserum. Id perspicuum est PRIMVM ex nomine. Dicitur enim eleemosyna à verbo Græco *ἐλεῖν*, quod est misereor. DEINDE ex Scripturis, quæ per misericordiam eleemosynam describunt. Prouerb. 19. *Fæneratur Deo, qui miseretur pauperis.* Et Daniel. 4.

A *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordis pauperum.* TERTIO, ex S. AVGVSTINO, qui in Enchiridio cap. 76. *Est enim, inquit, eleemosyna opus misericordiæ.* DENIQUE ex communi sensu omnium gentium. Nemo enim eleemosynam vocat id, quod datur non egenti, & omnes eleemosynam vocant, quam pauperes à diuitibus petunt, & quam diuites pauperibus erogant.

Quamuis autem eleemosyna sit actus elicitus misericordiæ, tamen imperatur à charitate, & adiuuatur à liberalitate: *Charitas enim benigna est.* 1. ad Cor. 13. *Et qui videt fratrem suum necessitatem habere, & clausit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* 1. Ioan. 3. Liberalitas autem remouet auaritiam, quæ sæpe impedit eleemosynam, & promptum facit ad dandum, quæ promptitudo facit hilarem datorem, quem diliget Deus. Denique S. AMBROSIVS, in 2. lib. de officiis, c. 15. liberalitatis effectum eleemosynam esse docet, quoniam vix fieri potest, vt aut auarus eleemosynas faciat, aut liberalis eas non faciat.

B Illud autem hoc loco non est omittendum, eleemosynam sine charitate factam, atque vt est actus solius misericordiæ, quæ est virtus moralis, verè proprièque eleemosynam dici posse: cum in Scripturis & Patrum libris absolutè, ac simpliciter eleemosynæ dicantur, quas peccatores faciunt, vt perspicuum est ex cap. 4. Danielis, ex cap. 6. Matth. ex cap. 11.

Lucæ, & ex Augustino in Enchiridio, cap. 75. & 76. & lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 22. & sequentibus. Quia tamen virtutes morales sine charitate non sunt omnino perfectæ virtutes, quamuis veræ virtutes esse possint, vt S. Thomas docet in 2. 2. q. 23. art. 7. Ideo si eleemosyna sumatur pro actu perfectæ virtutis, siue pro actu misericordiæ à charitate imperato, non dicitur eleemosynas facere, nisi materialiter, qui sine charitate eleemosynas faciet.

CAPVT II.

De partitione eleemosynæ.

PARTIUNTUR eleemosynam Theologi in **D**VO genera: alias enim corporales, alias spirituales esse docent; vtrumque autem genus in **S**EPTEM quasi formas & species diuidunt. Et quidem S. Thomas elegantem huius numeri rationem reddit. Sed nos paulo fortasse breuius & planius rem eandem exponemus.

PRIMVM igitur omnis humana miseria, aut ad corpus, aut ad animam pertinet; Quæ pertinet ad corpus, aut in vita toleratur, aut post mortem; Quæ toleratur in vita, vel est carentia earum rerum, quibus omnes egent, vel est aliorum specialis ærumna. Carentia earum rerum, quibus omnes egent; aut est interior, vt carentia cibi & potus: aut exterior, vt carentia vestium & domicilij. Atq; his quatuor corporalibus miseriis respondent quatuor genera eleemosynæ, pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, excipere hospitiū peregrinum.

Ærumnæ speciales **D**UÆ sunt, ALTERA interior, morbus; ALTERA exterior, captiuitas: quibus respondet duo alia genera eleemosynæ, visitare ægrotum, redimere captiuum. Atque ad eiusmodi eleemosynas reuocantur omnia similia officia, quæ proximis exhibemus, siue propter internas miseras depellendas, vt dirigere cæcos, sustentare claudos, regere paralyticos: siue propter externas, vt protegere viduas, ac pupillos, soluere debita pauperum, dotem providere virginibus, & alia id genus, Miseria post mortem est carentia sepulturæ, cui respondet vltimum genus eleemosynæ corporalis, quod est sepelire defunctos; cui possunt adiungi pompa funebris, exequutio testamenti, & alia, quæ fieri solent ab amicis in gratiam defunctorum.

Iam verò miseria, quæ pertinet ad animam, aut culpa est, aut pœna: si culpa non potest ea simpliciter à nobis tolli, potest tamen iuari, qui in eam incidit, **T**RIBVS modis, **P**RIMO, oratione ad Deum. **S**ECUNDO, remissione iniuriæ. **T**ERTIO, correptione fraterna. Si pœna est, aut intellectum lædit, vt ignorantia, tum theoricæ, tum practicæ, aut affectum, vt tristitia, ac dolor: aut consuetudine cum aliis, vt morositas, id est, incommoditas & difficultas morum. Et quidem ignorantia theoricæ mederi possumus per doctrinam, practicæ per consilium, tristitiæ per consolationem, morositati per patientiam. Atque hæc sunt **S**EPTEM genera eleemosynæ spiritualis, orare pro peccatoribus, condonare iniurias, corripere delinquentes, docere imperitos, consilium imprudentibus dare, consolari afflictos, tolerare alienam infirmitatem.

Neque desunt testimonia Scripturæ diuinæ, quibus hæc omnia genera eleemosynæ vel imperantur, vel laudantur. Prima sex genera eleemosynæ corporalis habentur Matth. 25. Septimum genus Tobie 12. **P**RIMVM genus eleemosynæ spiritualis habetur

A Matth. 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* **S**ECUNDM Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, peccata eorum, nec pater vester dimittet vobis.* **T**ERTIUM Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripere eum: &c.* **Q**UARTVM, Matth. 5. *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno celorum.* **Q**UINTVM, ad Galat. 6. *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* **S**EXTVM, *Consolamini pusillanimes,* 1. ad Thessal. 5. **S**EPTIMVM, *supportantes inuicem,* ad Ephes. 4. & ad Rom. 15. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere.*

Ex his omnibus nihil est, quod ab hæreticis in controuersiam reuocetur, excepta sepultura, præsertim cum Dominus Matth. 25. cum opera misericordiæ corporalis enumeraret & commendaret, non sine ratione solum omiserit officium sepulturæ. Sed de hac re differimus in 2. lib. de Purgatorio, extremo.

CAPVT III.

Eleemosynas non sufficere ad salutem sine fide, spe, dilectione, pœnitentia, aliisque ad salutem præsidij.

DE **F**RUCTV eleemosynæ, quod erat **T**ERTIUM caput initio propositum, **D**VO sunt errores contrarij. **V**NVS quorundam veterum, qui nimis multum eleemosynæ tribuebant: ALTER recentiorum, qui nimis parum tribuunt. Scribit igitur S. **A**VGUSTINVS in lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 22. de prioribus hoc modo: *Comperi etiam quosdam putare, eos tantummodo arduos illius aternitate supplicij, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt: iuxta illud Iacobi, Iudicium autem sine misericordia ei, qui non facit misericordiam. Qui ergo fecerit, iniquum, quamuis mores in melius non mutauerit, sed inter ipsas suas eleemosynas nefariè, ac nequiter vixerit: iudicium illi cum misericordia futurum est: vt aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tempus, siue paruum, siue prolixum, ab illa damnatione liberetur.* Hæc illæ.

Quamuis autem hæc sententia, quæ peccatoribus sine pœnitentia de hac vita migratibus per eleemosynas ad salutem aperit, non careat argumentis in speciem magnis & difficilibus; tamen sine dubio falsa est, & Scripturæ diuinæ manifestè repugnat. **P**RIMVM enim Isaie primo, describens Dominus dispositiones ad iustificationem, primo loco ponit internam conuersionem: *Lauamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benefacere.* Deinde vltimo loco collocat eleemosynam; *Subuenite oppresso, indicat pupillo, defendite viduam.*

DEINDE Ioannes Baptista, Matt. 3. cum dixisset: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excindetur, & in ignem mittetur:* explicat quis sit fructus bonus, dicens; *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ.* Ex quo loco docemur, non sufficere opera bona, qualis est eleemosynarum largitio ad placandum Deum, nisi ex vera pœnitentia oriatur, & hominem ex animo respiciisse testentur.

PRÆTEREA Luc. 13. Dominus ipse ait, *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Cui sententiæ simile est quod Apostolus ait 1. ad Cor. 6. *Neque fornicarij, neque Idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Quod idem repetit ad Gal. 5. ad Eph. 5. & alibi. At si eleemosyna sine innocentia, vel pœnitentia salutem adferre posset, Christi & Apostoli verba falsa esse possent.

Ac (vt alia multa præteream) certè illud Apostoli r. ad Cor. 13. sententiam eorum qui eleemosynas plus quàm oportet, efferunt, non obscure refellit, *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Quomodo enim charitatem habet, qui nec Deum timet, nec hominem reueretur? & qui non solum Deum & proximum offendere non veretur, sed neque animum tam sceleratum exuere, neque per veram penitentiam Deo reconciliari satagit? Adde quod hanc sententiam accuratè refellit S. Augustinus in Enchiridio, cap. 76. & lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 27. & eum sequutus S. Gregorius lib. 12. Moralium, cap. 24. Sed obiectiones soluendæ sunt.

PRIMA obiectio sumitur ex c. 11. Lucæ, vbi Dominus ait: *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

RESPONDEO, Locus Euangelicus varijs modis explicari solet. Aliqui docent, non commendari in his verbis eleemosynam, sed redargui Phariseos, qui existimabant, per eleemosynam mox expiari furta & rapinas, & omnia omnino peccata. Quocirca verbum Græcum, *δοτε*, non reddunt *date*, sed *dati*. Vel si reddatur, *date*, dicunt accipiendum esse ironicè non propriè. Hæc sententiâ, quam indicat in commentario huius loci Cardinalis Caietanus, non videtur recipienda, quoniam omnes alij interpretes, tum Græci, quos paulo infrâ citabimus, agnoscunt hoc loco commendationem eleemosynæ.

ALIA est expositio S. Augustini in Enchirid. cap. 76. & serm. 30. de verbis Domini, qui docet, Christum his verbis generatim eleemosynæ studiū commendasse, non solum erga alios, sed etiam erga se. Et quoniam qui à se incipit secundum ordinem charitatis; is primùm animæ suæ eleemosynam facit, eam purgando à vitijs per conuersionem & penitentiam; deinde proximos per eleemosynam, siue corporalem, siue spiritualem inuat; idèò verè dictum esse scribit Augustinus, *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.*

Hæc explicatio verè atque vtilem doctrinam continet, sed non videtur tamè propria, & litteræ inhærens explicatio esse. Nam nomine eleemosynæ, cum hoc nomen absolute ponitur, omnes intelligunt opus misericordiæ erga alios. Deinde verba illa, quæ proximè præcedunt. *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, &c.* satis aperte indicant, loquutum esse Dominum de eleemosyna, quæ sit erogando pauperibus facultates. Nam etiam si Beda in commentario huius loci, illud, *quod superest*, ita exponat, ac si dictum esset, de cætero, vel quod restat agendum, tamen Græca vox, *τὸ ὑπόλοιπον*, perspicue significat, facultates, quæ supersunt, aut quæ adsunt, vt sit sensus, *Date eleemosynam de eo quod habetis, & omnia munda sunt vobis.*

TERTIA expositio est S. Basilij in quæstionibus breuioribus, quæst. 271. qui docet, non loqui Dominum de expiatione omnium peccatorum, sed eorum tantum, quæ nascuntur ex auaritia, vt furti, rapinæ, vsuræ, & similibus. Vt sensus sit, Vos Pharisei habetis cor plenum rapinis & furtis, sed, *Date eleemosynas ex ijs facultatibus, quas habetis, & omnia vestra furta, & rapinæ expiabuntur.* Vbi addit Basilijus peccata per auaritiam contracta mundari per largam eleemosynarum largitionem, non quidem principaliter, sed vt per fructus dignos penitentia; causam enim principalem purgationis peccatorum esse gratiam Dei, & sanguinem Iesu Christi.

QUARTA expositio, quæ videtur omnium optima, est Euthymij & Theophylacti in hunc locum, &

fortasse etiam Ambrosij in eundem locum, & sancti Maximi serm. 1. de eleemosyna. Docet hæc sententia Dominum commendasse præcipuè studium eleemosynæ; quoniam alloquebatur Phariseos, quorum præcipuum vitium erat auaritia. Quemadmodum enim Medicus aliquis peritus, si videat originem variorum morborum in aliquo ægroto esse repletionem, dicere poterit, Adhibe iudicium, & integrè cõualefces; quia videlicet radice principalis morbi subblata, cæteri morbi facillè tolli poterunt: Sic enim Dominus dicit Phariseis, *Date eleemosynas, & omnia munda sunt vobis.* Quoniam cum radix omnium malorum, præcipuè in Phariseis auaritia esset, si ea, per virtutem contrariam euulsa fuisset, facillè illi ad fidem & penitentiam, ac per hoc ad plenam salutem animi peruenissent.

SECUNDA obiectio, Dominus promissit Matth. 5. misericordiam misericordibus: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et Matth. 6. *Si dimiserit hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester peccata vestra.* Et contra Iac. 2. dicitur: *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.* Videntur igitur homines misericordes, etiam si alioqui perditè viuant, securi de sua salute, propter apertam Domini promissionem.

RESPONDEO, Cum Dominus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* ostendit misericordiam esse rem Deo gratam & ingenti præmio remunerandam: non tamen solam sufficere ad salutem. Singulæ enim virtutes, per se ducunt ad regnum, nisi aliunde sit impedimentum, hoc est, nisi desint aliæ virtutes.

Illud: *si dimiseritis hominibus peccata eorum, &c.* non tam docet quid sufficiat, quàm quid necessario requiratur ad peccati expiationem. Ideo enim dicitur Deus remissurus nobis peccata nostra, si nos fratribus nostris dimiserimus peccata eorum, quoniam nisi nos dimiserimus, nec nobis dimittetur, vt notat Sanctus Augustinus in lib. 21. de ciuitate Dei, capite vltimo, vbi etiam monet, posse hunc totum locum referri ad peccata venialia, ideo enim dictum esse: *Pater dimittet vobis*, id est, vobis iustis, qui patrem habetis Deum. Et, *peccata vestra*, id est, qualia iusti habere possunt, quotidiana ac leuia; quæ per eleemosynam remissionis iniuriæ facillè condonantur.

Denique S. Iacobus rectè dixit, *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam:* quoniam vel vnum crimen non delictum, sufficit ad damnationem, dicente eodem Apostolo: *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* At non dixit Iacobus, *miseriordia sine iudicio ei qui fecerit misericordiam,* quia non sufficit vnum opus bonum ad salutem, sicut sufficit vnum crimen ad damnationem. Dixit tamen, *Superexultat autem misericordia iudicium,* quia misericordia, qua Deus cum bonis, iustis & misericordibus vtitur, ipsum iudicium, quo damnabuntur immiseriordes, magis eminere faciet. Vel iuxta Græcos codices, *Miseriordia superexultat iudicio*, id est, exultat & gloriatur supra iudicium, illudque vincit & superat. Et ideo iudicium sine misericordia immiseriordibus fiet; ne si cum misericordia fieret, cogeret ipsa misericordia iudicium aliquid remittere de rigore sententiæ aduersus immiseriordes.

TERTIA obiectio, Scriptura diuina Tob. 4. manifestè pronunciat, non posse perire eos qui eleemosynas faciunt. Sic enim ait: *Eleemosyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patitur animam ire in tenebras.* Cui simile est illud Ecclesiastici 3. *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Et

confirmari potest hæc obiectio testimonijs Patrum, qui eleemosynam comparant cum Baptismo, quia sicut non potest baptizatus perire, si gratiam Baptismi conseruet vsque in finem: sic etiam non potest misericors homo perire, qui vsque ad finem in eleemosynæ studio perseueret. CYPRIANVS in serm. de eleemosyna, explicans verba Ecclesiastici iam citata; *Hic, inquit, ostenditur & probatur, quia sicut lauacro aquæ salutaris, gehennæ ignis extinguitur, ita eleemosynis, atque operibus iustis delictorum flamma sopitur.* AMBROSIVS serm. 31. *Eleemosyna, inquit, quodammodo animarum aliud est lauacrum, sicut ait Dominus, Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis, nisi quod salua fide dixerimus, Indulgentior est eleemosyna, quam lauacrum. Lauacrum enim semel datur, & semel vineam pollicetur: eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris.* CHRYSOSTOMVS homilia 25. in Acta Apostolorum: *Non est, inquit, peccatum, quod non possit purgare eleemosyna, quod veni non possit extinguere. Omne peccatum infra illam stat.* LEO serm. 5. de collectis: *Eleemosyna, inquit, peccata delent, mortem perimunt, & pœnam perpetui ignis extinguunt.*

RESPONDEO, Loquuntur Ecclesiasticus & Tobias de eleemosynis, quæ sunt fructus pœnitentiæ. Verè enim eiusmodi eleemosynæ partim vt dispositiones ad iustificationem, peccatum etiam quoad culpam, suo modo delent, dum gratiam impetrant iustificationis: partim post acceptam, remissionem culpæ satisfaciunt pro pœna temporali, & suo quodam modo peccatum extinguunt. Et eodem modo sancti Patres comparant eleemosynas ex pœnitentia procedentes cum Baptismo. Sicut enim Baptismus culpam, & pœnam tollit, ita vt si quis mox à Baptismo decedat, nihil sit ei periculi vel à gehenna, vel à Purgatorio: Sic etiam eleemosynæ, culpa iam remissa per pœnitentiam, satisfaciunt pro pœna temporali. Atque ita eleemosyna coniuncta cum pœnitentia, est alter Baptismus, & in eo excellit, vt Ambrosius ait, quod Baptismus semel tantum, eleemosyna sæpius peccata dimittit.

Obiectio QUARTA, Dominus Matth. 25. ca. totum examen futuri iudicij circa eleemosynas constituisse videtur, non igitur damnantur, nisi qui eleemosynas non fecerunt, neque saluantur, nisi qui eas fecerunt. Quare S. AVGVSTINVS serm. I. in Septuagesima, qui est 50. de tempore, inducit Christum in iudicio sic loquentem: *Difficile est, vt si examinem vos, & appendam vos, & scruter diligentissime facta vestra, non inueniam vnde vos damnem. sed ite in regnum. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c.*

RESPONDEO, In die iudicij non solum de eleemosyna, sed etiam de alijs omnibus rebus, ex quibus benè, vel malè meriti fuerimus, rationem Deo redduri sumus. Alioqui non diceret Dominus Matth. 12. *Omne verbum ociosum, quod loquuti fuerint homines reddent de eo rationem in die iudicij.* Cur autem exemplum examinis Dominus posuerit in eleemosyna, illa causa fuit, vt ex ea de rebus grauioribus iudicium faceremus. Nam si damabitur, qui res suas non dederit, quid fiet de eo, qui rapuerit alienas? & si coronabitur, qui res vtilissimas cum pauperibus communicauerit: quo præmio dignus erit, qui vitam ipsam pro Dei honore posuerit?

Ad locum sancti Augustini RESPONDEO, non significari illis verbis, in die iudicij inuenienda esse peccata in hominibus iustis, ob quæ damnari possent: sed, ob quæ damnari potuissent, nisi ea per dignam pœnitentiam, & pœnitentiæ fructus, inter quos eleemosynæ sunt, delere studuissent. Sic enim expli-

cat idem Augustinus cum subiungit: *Non ergo itis in regnum quia non peccatis, sed quia vestra peccata eleemosynis redemistis.*

Porro S. Augustinum non loqui de eleemosynis sine pœnitentia, perspicuum est ex verbis sequentibus, vbi reprehendit S. Augustinus sterilem pœnitentiam, quæ nomen pœnitentiæ non meretur, ac docet illam pœnitentiam esse necessariam, quæ parit fructus eleemosynæ, & citat illud Matth. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Itaque cum dicit, peccata eleemosynis redimi, intelligit de eleemosynis, quæ sunt veræ pœnitentiæ fructus. Quod etiam clarius docet in Enchiridio, cap. 66. & 70.

CAPVT IV.

Eleemosynas esse opera meritoria, & satisfactoria, ac multos præterea fructus habere.

ALTER error est recentium omnium hæreticorum, qui tamen eleemosynas vtilis esse non negant, tamen negant eas ad merendam vitam æternam, aut ad satisfaciendum pro peccatis, aliquam vim habere. Sed hic eorum error satis refutatus est, tum in 4. lib. de Pœnitentia, tum in 5. de Iustificatione. His igitur omisissis, nos hic breuiter attingemus eleemosynæ fructus, quos Catholici confitentur, qui sex numerari posse videntur.

PRIMUM enim eleemosyna, si ab homine iusto, & ex vera charitate fiat, meretur vitam æternam, quod verbis disertis Dominus docet, cum ait Matth. 25. *Percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c.* Idem docent S. Cyprianus in sermone de eleemosyna, & alij Patres passim.

Neque videtur contemnendum, quod quidam obseruant, non sine mysterio portas tabernaculi, quod Sancta Sanctorum dicebatur, ex ligno oliuæ fieri debuisse 3. Reg. 6. Nam per Sancta Sanctorum vitam æternam significari, docet Apostolus ad Hebræ. 6. per oliuam autem significari misericordiam, passim docent Patres, ac præsertim S. Io. Chrysostomus hom. 79. in Matthæum, contra autem portæ inferorum ferreæ describuntur in Psal. 106. vt intelligamus per misericordiam aditum pateferi ad vitam æternam, per inhumanitatem ad gehennam.

SECUNDO, eleemosyna satisfactio est pro peccatis. Id quod satis probant testimonia Scripturæ & Patrum, quæ paulò antè allata sunt, videlicet in tertia obiectione capitis superioris.

TERCIO, auget fiduciam apud Deum, & gaudium spirituale. Quamuis enim id commune sit cum omni opere bono: tamen præcipuè conuenit eleemosynæ, cum per eam Deo simul, & proximo gratum præstemus obsequium, & sit opus, quod facile cognoscitur esse bonum. Tobia 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* Ad Heb. 10. *Vinctus (inquit Apostolus) compassi estis, nolite itaque amittere confidentiam vestram.* S. Cyprianus eleemosynam appellat *solatium grande credentium, securitatis nostræ salutare presidium.* Similia vide apud Chrysostomum hom. 34. in Genesim, & alibi.

QUARTO, conciliat beneuolentiam multorum, qui pro benefactoribus Deum precantur, eisque vel gratiam conuertionis, vel donum perseuerantiæ, vel incrementum gratiæ & gloriæ, impetrant. Nam his omnibus modis intelligi potest, quod Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum*

defeceritis, recipiāt vos in aeterna tabernacula. Luc. 16. Huc etiā illud pertinet: *Qui recipit iustum, in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Matt. 10. hoc est, qui iustum eleemosynis suis fouet, particeps erit meritum ipsius. Et quemadmodum S. Petrus Tabitham, corporaliter mortuam, ad preces viduarum, quæ ab ea eleemosynas acceperant, excitauit: ita sæpè Deus spiritaliter mortuos excitat ad preces sanctorum pauperum qui pro benefactoribus suis orant.

QUINTO, eleemosyna dispositio est ad gratiam iustificationis, si fiat ab eo: qui penitentiam agere incipit, & ex Dei motione, & auxilio speciali. De hoc fructu loquitur Salomon Prouerb. 15. *Eleemosynis & fide, delicta purgantur.* Et Dominus Luc. 11. vt suprà exposuimus; *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Et Luc. 19. cum dixisset Zachæus; *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, ad pauperibus, &c.* adiunxit Dominus; *Hodie salus huic domui facta est.* Denique Act. 10. *Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nūc mitte in Ioppem, & accerse Simonē, &c.* Ex quo loco probat S. Augustinus in 1. lib. de prædest. Sanctorum, ca. 7. Cornelium per eleemosynas impetrasse à Deo gratiam fidei Christianæ, & perfectæ iustificationis.

SEXTO, eleemosyna sæpe causa est maioris abundantiae temporalium bonorū. Id enim vt plurimum diuina prouidentia ordinare solet, vt qui sunt eleemosynæ studiosi, quo magis erogat, eo magis abundant. Id quod affirmat Sapiens Prouerb. 19. cum ait, *Fæneratur Domino qui miseretur pauperis.* Et apertius c. 28. *Qui dat pauperibus, nūquam egebit.* Idem exemplo suo Dominus docere voluit, cum discipulis iussit, panes, quos solos habebant, turbis egentibus apponerent. Nam turbis satiatis, pro quinque panibus duodecim cophiños, panibus plenos, discipuli retulerunt. Tobias quoque, qui bona cum pauperibus benignè communicabat, ingentes diuitias breui cōsequutus est. Vidua etiam Sareptana, quæ modicum farinæ, & olei in vsu Prophetæ libenter insumpsit, id à Deo obtinuit, vt farina & oleum, longo tempore nunquam ei defuerit. Exempla præterea plurima & dignissima, quæ legantur, extant apud Gregorium Turon. cum lib. 5. historię Francorum, cap. 19. apud Leontium, in vita sancti Ioannis Eleemosynarij, & apud Sophronem in Prato spirituali, cap. 185. & 201. Idem denique S. Patres affirmant, ac præsertim S. Cyprianus in sermone de eleemosyna, & S. Basilius in oratione ad diuites, explicans illud: *Destruam horream meam, &c.* Vbi etiam eleganti similitudine diuitias comparat aquis puteorum, quæ si frequenter hauriantur, semper meliores & copiosiores scaturire solent, si verò immotæ conferuentur, putrescunt, atque decrescunt.

CAPVT V.

Vnde sumatur eleemosyna magnitudo.

QUÆRI solet post enumeratos eleemosynæ fructus, vnde sumatur eleemosynæ magnitudo. Quam quæstionem quia facilis est, paucis absoluemus. Igitur, TRIA sunt quæ maiorem eleemosynam reddunt, magnitudo rei, quæ datur, promptitudo voluntatis ad dandum, & dignitas personæ, quæ eleemosynam facit. Nam, cæteris paribus, semper maior eleemosyna esse censetur, & Deo gratior, quo plura, vel preciosiora dantur, quia donum ipsum est absolutè, & simpliciter maius. Sic etiam, cæteris paribus, semper eleemosyna maior existimatur, quo maiori promptitudine, & feruore tribuitur. Si quidem in ea promptitudine includitur voluntas plura,

A & maiora tribuendi, si facultas suppeteret. Denique, cæteris paribus, eleemosyna illa pluris à Deo fit, quæ proficiscitur ab eo, qui iustior, sanctior, & ipsi Deo gratior est, *Respexit enim Deus ad Abel primum, deinde ad munera eius,* Genes. 4. Verum si hæc tria inter se conferantur, primum locum obtinebit feruor & promptitudo voluntatis actualis; secundum bonitas personæ, siue magnitudo gratiæ habitualis; postremum rerum, quæ donantur, magnitudo, vel precium.

Hinc videlicet Dominus Luc. 21. anteposuit eleemosynam duorum minorū viduæ cuiusdam egentis, ingentibus donarijs diuitum, quia cum illa dedit totum victum suum, sine dubio tanta promptitudine animi dedit, vt parata fuerit multo plura, & maiora donare, quàm diuites illi fecerint, si quod dare posset, habuisset. Hinc etiam sancti Patres passim anteponunt affectum censui.

S. CYPRIANVS in lib. ad Quirinum, cap. 2. *In opere, inquit, & eleemosynis, si per mediocritatem minus fiat, ipsa voluntas satis est.*

S. AMBROSIVS in libro de viduis: *Liberaltas, inquit, non cumulo patrimonij, sed largitatis definitur affectu.* Idem repetit in lib. 1. de officijs c. 30.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 34. ad populum Antiochenum: *Eleemosynæ, inquit, magnitudo non in pecuniarum multitudine indicatur, sed in dantium promptitudine.*

C S. AVGVSTINVS in Psal. 125. in illud: *Tunc impletum est gaudium os nostrum, & lingua nostra exultatione: Si manum, inquit, porrigas, nec in corde miserearis, nihil fecisti. Si autem in corde miserearis, etiamsi non habeas quod porrigat manus, acceptat Deus eleemosynam tuam.*

S. LEO ferm. 4. de Quadragesima: *Ex affectibus, inquit, piorum benignitatis mensura taxatur.*

S. GREGORIUS hom. 5. in Euangelia: *Exteriora, inquit, nostra Domino, quamlibet parua sufficiunt. Cor namque, & non substantiam pensat.*

CAPVT VI.

Esse præceptum aliquod de eleemosyna faciendâ, idque ad quartum præceptum Decalogi reuocari.

PRÆCEPTVM esse aliquod in diuinis litteris de eleemosyna faciendâ, in dubium reuocari non potest. Non enim in iudicio damnarentur, qui eleemosynas non fecerunt, nisi præceptum aliquod violarent, qui eleemosynas non faciunt. Damnari autem perspicuum est ex Euangelio, Matth. 25. Deinde vnum ex primarijs præceptis esse: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum,* notum est ex Leuit. 19. Matt. 22. & ad Rom. 13. proximum autem non verbo, & lingua diligere debemus, sed opere & veritate, vt sanctus Ioannes in epist. 1. cap. 3. scribit. Quid est autem opere & veritate diligere nisi proximo indigenti succurrere, quod fit per eleemosynæ largitionem?

Quamuis autem præceptum eleemosynæ propriè ad Decalogum nō pertineat, cum in Decalogo non ponantur, nisi præcepta iustitiæ; eleemosynæ autem præceptum, charitatis sit, non iustitiæ, tamen solent Theologi omnia præcepta moralia aliquo modo ad Decalogum reuocare. Et alij quidem, in quibus est Albertus in 4. dist. 15. artic. 16. reducunt eleemosynæ præceptum ad illud Decalogi: *Nō furaberis,* quoniam genus furti esse videtur, non tribuere pauperibus quod debemus.

ALIj verò in quibus est S. Thomas in secunda se-

cunda, quæst. 52. art. 5. ad quartum, reuocant ad præceptum: *Honora patrem & matrem*. Quæ sententia probabilior est. Nam Apostolus 1. ad Timoth. 4. ait: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est & futura*. Vbi commendans opera pietatis, quibus proximis subuenimus, indicat ad illud præceptum eiusmodi officia pertinere, quod habet promissionem vitæ. In nullo autem præcepto Decalogi annexa est promissio vitæ nisi in illo: *Honora patrem & matrem, ut sis longæuus super terram*.

DEINDE, præceptum eleemosynæ sine dubio est affirmatiuum, non negatiuum. Includitur enim in illo: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum*. At in secunda tabula Decalogi nullum est affirmatiuum præceptum, nisi vnū illud: *Honora patrem & matrem*. Cætera enim pertinent omnia ad mala, quæ cauere debemus, ne proximis inferamus, & ideo negatiua sunt. Quartum duntaxat præcipit bona officia, quæ proximis præstare tenemus, & affirmatiuum est. Itaque omnia bona, quæ proximis debemus, continentur in illis verbis, *Honora patrem & matrem*. Sed ideo patentem solum mentionem fecit Scriptura diuina, quoniam ipsi in proximis primum locum tenent, & magis elucet ratio iustitiæ in eo, quod parenti, quam in eo quod alij cuicumque debemus.

DENIQUE, si præceptum eleemosynæ faciendæ, non ad quartum, sed ad septimum præceptum Decalogi, quod est, *Non furaberis*, reuocemus, id sequeretur, vt ad restitutionem obligandus esset, qui eleemosynam non fecisset. Quod certè à communi sententia Scholarum abhorret.

CAPVT VII.

Diuino præcepto diuites obligari ad ea pauperibus eroganda, quæ sibi supernacanea sunt.

PRÆCEPTVM esse aliquod eleemosynæ faciendæ capite superiore docuimus. Sed quibus ex rebus eleemosyna facienda sit, superest vt quæramus; Ac PRIMA quæstio est, Vtrum superfluas opes præcepti necessitate, diuites pauperibus erogare cogantur. Vt autem status quæstionis proprius explicetur, pauca quædam præmittenda sunt.

SCIENDVM est PRIMO, DVODVS modis posse dici opes superfluas: VNO modo, si sint superflua natura, non tamen personæ: ALTERO modo, si superflua sint tam naturæ quam personæ. Superfluum NATURÆ dicitur id, sine quo viuere posset tum is, qui superfluum habere dicitur, tum etiam familia, quam ipse alere, ac sustentare debet. Superfluum PERSONÆ appellatur id, sine quo non solum viuere, & familiam alere, sed etiam statum, conditionem, ac dignitatem propriam conseruare posset. Quæstio igitur de superfluo absolute, id est, quod tam naturæ, quam personæ superfluum est, intelligi debet.

SECUNDO considerandum est, necessitatem naturæ, vel personæ, non esse accipiendam mathematicè, sed moraliter, ac secundum iudicium pij, prudentisque Christiani. Neque enim id solum necessarium dici debet, sine quo nullo modo naturæ, aut personæ status conseruari potest: sed etiam id, sine quo non bene conseruari potest. Contra quoque non ideo debent opes necessariæ, aut non superflua iudicari, quoniam non seruantur ociose, sed in vestibus, aut hortis, aut ædificijs infumuntur. Nam hæc ipsa dicuntur supernacanea, & sunt quando non sunt necessaria naturæ, vel personæ. De qua re dili-

genter legi deberent, quæ scribit sanctus Basilius in oratione ad diuites.

TER TIO addendum est, non tantum id posse dici non superfluum, sed necessarium, quo in præsentibus opus habemus, sed etiam id, quo paulò post opus habebimus. Si quis enim filias habeat paruulas, non dicitur retinere superfluum, si pecunias conseruet, quæ pro earum dotibus necessariæ erunt, quamuis in præsentibus necessariæ non esse videantur. Ex quo intelligimus, minus excusari posse Ecclesiasticos, quam Laicos, si opes superuacaneas habeant, cum ipsi ab onere vxorum, & filiarum, liberi sint, & exemplo temperantiæ, moderationis, & omnium virtutum alijs præluere debeant.

Quamuis autem non censeatur esse superfluum id, quod paulò post necessarium erit, tamen non sunt opes conseruandæ propter omnes casus, qui aliquando accidere possent, sed propter eos tantum qui probabiliter, & quasi certè ita imminet, vt nisi nunc ijs prospiciamus, postea prouideri non poterit. Alioqui peccatur contra præceptum Domini, prohibentis sollicitum esse de crastino, Matth. 6. Is enim dicitur sollicitus esse de crastino, qui hodie pro ea re sollicitus est, de qua satis tempestiue cras cogitare inciperet.

QUARTO est obseruandum, conuenire inter Theologos, tunc saltem præcepti necessitate superfluum esse pauperibus erogandum, quando occurrunt pauperes, qui extrema, vel graui admodum necessitate premuntur, sed quæstionem esse de superfluis opibus, ratione superfluitatis, id est, An diuites teneantur superflua erogare, quia superflua sunt, quicquid sit de necessitate extrema, vel graui egenorum. Et quamuis non desint graues Theologi, qui contra sentiant, nos tamen tutiorem & veriorẽ eam sententiam arbitramur, quæ docet, superfluas opes sine peccato retineri non posse. Quam sententiam sequitur sanctus Thomas in 2. 2. quæst. 66. artic. 7. & quæst. 87. art. 1. ad 4. & quæst. 118. art. 4. ad 2. & Quodlibeto 6. art. 12. & præterea Albertus, Richardus, Paludanus, & alij in 5. Sentent. distinct. 15. Quo loco Sanctus Thomas quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 4. scribit, hanc esse communem Theologorum sententiam.

Probat igitur hæc sententia, PRIMO ex diuinis litteris, Matth. 6. *Nemo potest duobus dominis seruire. Non potestis Deo seruire & Mammonæ*. Seruire Mammonæ nihil esse aliud docent Chrysostomus & Hieronymus in hunc locum, nisi superuacaneas diuitias congregare. Qui enim opes suas distribuit indigentibus, is non seruit, sed dominatur Mammonæ; qui autem congregat, & custodit ociosas pecunias, aut vestes, aut alia id genus, sine dubio seruit. Item Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas similiter faciat*. Quo loco per duas tunicas, & duplices escas aperte superfluum indicatur. Nam vt S. Hieronymus rectè explicat in epistola ad Hedibiam, quæst. 1. vna tunica dicitur vestimentum vniciueque necessarium, & si alicui tres, aut quattuor vestes per hyemem necessariæ sint, illæ omnes vna tunica sunt. Sed si plures fortè habeat, illæ dicuntur altera tunica, & ex præcepto à Ioanne declarato, pauperibus distribuendæ sunt. Neque dicit Beatus Ioannes, *Qui habet duas tunicas, det alteram frigore morienti, sed, non habenti*; neque est cõsiliũ, sed præceptum. Nam cum dixisset: *Omnis arbor, quæ nõ facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur*: Quærentibus turbis, quid ergo faciemus? respondit: *Qui habet duas tunicas, &c.*

Ad hæc Luca 12. diues quidam cum haberet bona

plurima, cogitare cœpit vbinam ea recondere posset, dictum autem illi est: *Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam, & qua parasti cuius eris? Quem locum tractans B. Augustinus homil. 7. in lib. 50. homiliarum, scribit, diuitem illum non ob aliud peccatum fuisse damnatum, nisi quia superflua retinebat. Illud enim: Stulte, hac nocte repetunt à te animam tuam, dicit, non esse simplicem reprobationem, sed damnationis iudicium. Sicut etiam quod sequitur: sic est omnis, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues, nihil significat aliud, nisi sic perituros omnes, qui student augendis opibus non necessarijs, cum potius studere deberent, vt diuites fierent apud Deum meritis operum bonorum.*

Similis locus est Luc. decimo sexto, vbi describitur alius diues, qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendè; & cum aleret etiam canes, tamen vlcerosi pauperis non miserebatur. Nam iste quoque, vt sanctus Augustinus monet loco notato, non alia de causa damnatus est, nisi quia superfluas opes in superfluo cultu, & delicijs infumebat, cum eas pauperibus distribuere debuisset. Neque Lazarus introducit in extrema necessitate, sed planè talis, quales in plateis, vel ante fores diuitum videmus quotidie.

Addi solet alius locus ex cap. 11. Luc. *Quod superest, date eleemosynam.* Et quamuis Græca vox, *τὸ ὑπόλοιπον*, significet, quæ adsunt; tamen interpres rectè exposuit sententiam domini, & vertit, quod superest, id est, quod vobis adest vltra necessitatem.

Probatur SECUNDO eadem sententia testimonijs Patrum, S. BASILIVS orat. in illud: *Destruam horrea mea, prope finem, At tu, inquit, nonne spoliatores, qui quæ dispensanda accepisti propria reputas? est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam in conclauis conseruas; disgalceati calceus, qui apud te marcescit; indigentis argentum quod possides inhumatum. Quocirca tot pauperibus iniuriam facis, quot dare valeres.*

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS hom. 34. ad populum Antiochenum: *Nunquid, inquit, graue quippiam, & onerosum à nobis requirit? necessitatem excedentia vult nos facere necessaria, & quæ nequicquam, & inutiliter reposita sunt, hæc vult benè distribuere, vt hinc occasione sumpta, nos coronet.* Et infra disputans de superfluis: *Tuarum, inquit, rerum es, ò homo, dispensator, non minus quam qui Ecclesia bona dispensat.* Et infra: *Non ad hoc accepisti, vt in delicijs absumeres, sed vt in eleemosynam erogares. Nunquid enim tua possides? res pauperum tibi sunt credita, siue ex laboribus iustis, siue ex hereditate paterna possideas.*

S. AMBROSIVS serm. 81. *Sed ais, inquit, quid iniustum est, si cum aliena non inuadam, propria diligentius seruem? ò impudens dictum, propria dici? quæ ex quibus reconditis in hunc modum delulisti? Et infra: Non minus est criminis, habenti tollere, quam cum possis, & abundes indigentibus denegare.*

S. HIERONYMVS in epistola ad Hedibiam, quæst. 1. *Si plus, inquit, habes, quam tibi ad victum, restitumque necessarium est, illud eroga. & in illo debitricem esse te noueris.* Citatur etiam illud ex Hieronymo: *Aliena rapere conuincitur, qui vltra sibi necessaria retinere probatur.* Vide Gratianum dist. 42. can. Hospitalè.

S. AVGVSTINVS in Psal. 147. in illud: *Confortauit seras portarum tuarum, Superflua, inquit, diuiti necessaria sunt pauperi, aliena retinet, qui ista tenet.* Item hom. 18. in lib. 50. homiliarum: *Desert, inquit, tibi Deus honorem, & quasi dicit tibi, prior de communi tolle, quod sufficit necessitatibus domus tue: quod reliquum*

est, da Christo. Item tract. 50. in Ioan. *Tibi, inquit, superflua sunt, sed Domini pedibus necessaria sunt.*

S. LEO serm. 5. de collectis: *Etiã terrene, inquit, & corporea facultates ex Dei largitate proueniunt, vt meriti rationem eorum quaesiturus sit, quæ nõ magis possidenda, quam dispensanda commisit.*

S. GREGORIUS 3. par. pastoralis admonitione 22. *Admonendi sunt, inquit, qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, vt sciant sollicitè, quod ea, de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est, & idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert, & idcirco incassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi priuatum vendicant.*

S. BERNARDVS in epist. 41. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum: *Nostrum est, inquit, pauperes clamant; quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur; quod inaniter expenditis.*

Probatur VLTIMO rationibus. PRIMA ratio, Debet vnusquisque diligere proximum sicut seipsum, vt omnes concedunt: At fieri non potest, vt quis verè diligit proximum sicut se ipsum, si ne superflua quidem cum illo egente communicare velit, imo qui eiusmodi est, in vtroque extremo versatur, nam non solum non diligit proximum, quantum oportet, sed etiam se ipse diligit plus quam oportet.

SECUNDA ratio, Qui diuitias habent, quamuis re vera domini sint opum suarum iustè acquisitarum, si comparentur ad alios homines: tamen si conferantur ad Deum, non tam domini, quam dispensatores dici debent, vt perspicuum est ex parabola de villico iniquitatis Lucæ 16. & ex Patribus suprâ citatis, & ex ipsa ratione. Nam Deus omnia creauit, & eius prouidentia fiunt homines, aut diuites, aut pauperes. Et Deo sine dubio rationem de diuitijs suis reddituri sunt: igitur secundum voluntatem Dei diuitias suas erogare debent. Non vult autem Deus, qui Pater est omnium, & qui mundum creauit in communem omnium vtilitatem, vt alij sint ita diuites, vt abundant superfluis, alij ita pauperes, vt careant necessarijs: Sed vult alios esse diuites, alios pauperes, vt illi per misericordiam, isti per patientiam in regnum cælorum ingrediantur. Quare contra Dei voluntatem agunt, & sine dubio peccant, quia superflua retinent. Atque hæc est potissima ratio, quam sancti Patres in suis ad populum concionibus adferre solent.

At contra nostram hanc sententiam obijci potest, quod Apostolus 2. ad Cor. 8. cum hortaretur ad eleemosynam, ait: *Non imperans dico, sed consilium do.* Et loquebatur de eleemosyna ex superfluo: *In presentis, inquit, vestra abundantia illorum inopiam suppleat.*

RESPONDEO, vel Apostolus nomine abundantia, non intellexit superfluum, sed id, quod commodè sufficiebat Corinthijs. Nam & illi abundare dicuntur, qui commodè viuunt. Vel certè si de superfluo loquebatur, non dixit, consilium do, quia non tenerent Corinthij donare superfluum pauperibus, sed quia non tenebantur donareijs, qui erant in Hierusalem, vt Apostolus cupiebat, sed poterant, quod eis supererat, distribuere in ciues suos Corinthios. Quamuis enim diuites non possint sine peccato retinere superflua: non tamen coguntur cuiunque pauperi petenti, eleemosynam facere, sed possunt vni potius, quam alteri dare, dummodo bona fide ea dispense, quibus, quando, quomodo prudentia & charitas docent, vt Sanctus Thomas monet in Quodlib. 6. art. 12. ad 1. & 2.

CAPVT VIII.

Non solum superflua, sed etiam necessaria interdum erogare, vel preceptum, vel consilium est.

DE NECESSARIIS naturæ vel personæ, an sit eleemosyna facienda, multa disputant Theologi, sed quoniam hæc satis accuratè traduntur à multis, ac præsertim ab ijs, qui casus conscientiæ tractant, attingam hoc loco solum capita rerum.

P R I M V M igitur de necessario naturæ propriè non videtur eleemosyna fieri debere, nisi fortè publica aliqua persona, ex qua salus Reipublicæ penderet, in extrema necessitate versetur. Id enim exigit ordo charitatis, vt non diligamus proximum magis quàm nos ipsos, nisi fortè ex proximi alicuius salute, vt diximus, salus penderet Reipub. vniuersæ.

S E C V N D O, de necessario personæ, vel statui, sed superfluo naturæ eleemosyna fieri debet pauperibus necessitatem naturæ patientibus. Nam & id postulat ordo charitatis, vt pluris faciamus vitam proximi nostri, quàm statum & conditionem nostram.

T E R T I O, non semper est necesse donare, sed tunc solum, cum egenti neque per mutuum, neque per venditionem, neque alia ratione succurri potest. Nam si quis fortè vno in loco pecunijs egebat, quibus in alio abundet, satis erit ei pecunias mutuo dare: & hoc ipsum genus est eleemosynæ, iuxta illud. Psal. III. *Iucundus homo qui miseretur, & commodat.* Et Ecclesiastici 29. *Fenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Vbi per vocem, *fenerare*, nihil aliud nisi mutuare intelligendum est. Itaque Tobias, qui multis pauperibus plurima largiebatur, Gabelo tamen egenti, sed alioqui locupletis non donauit, sed sub chirographo pecunias mutuo dedit. Sic etiam, si absque mutuo, sola venditione, necessitati proximorum subueniri possit, id solum præstare debemus, quemadmodum Patriarcha Ioseph in summa annonæ caritate ijs, qui pecunias habebant, non donauit frumenta, sed vendidit.

Q V A R T O, dare in eleemosynam tantum de suis rebus, vt non possit quis deinceps viuere secundum dignitatem proprii status, vitium est, nisi velit is mutare statum, aut occurrat extrema necessitas proximi, aut grauis necessitas Reipub. Debet enim vnusquisque pro conditione sua honestè viuere, & famæ, atque honori suo consulere. Neque vlllo modo decet, cessante necessitate (vt diximus) extrema proximorum, aut graui Reipub. vt qui Doctoris munere fungitur neque libros, neque vestes, neque alia conuenientia proprio gradui sibi retineat: & qui militiam profitetur, arma omnia, & equos, ac cætera instrumenta bellica pauperibus tribuat. Si quis tamen statum mutare velit, & sæculo valedicens ordinem monasticum profiteri incipiat, is poterit, ac debebit iuxta verbum Domini Matth. 9. vendere omnia, & pauperibus dare.

Quamuis autem hæc doctrina vera sit, & non solum à Sancto Thoma in 2. 2. q. 32. artic. 6. Sed etiam ab alijs Theologis communiter tradi solet: tamen quoniam proni sunt homines ad retinendum magis quàm ad largiendum, & plerumque amplificat necessitates suas, & extenuant alienas: & ideo sententia ista communis restringenda videtur ex parte diuitum, & dilatanda ex parte pauperum.

Itaque tunc solum vitium censeri deberet, nimis multum de rebus suis proximo largiri, quando valde magnum detrimentum pateretur persona largientis, & non occurreret proximi necessitas nisi

A communis & leuis. Contra autem non vitium, sed virtus existimari deberet, liberaliter sua profunderet, etiam cum detrimento proprii status, quando vel grauis occurreret necessitas proximi, vel non adeo graue detrimentum persona dantis pateretur. Certè enim exempla Scripturæ & Patrum id nobis apertissimè persuadent. Nam vidua illa, quæ totum victum suum misit in donaria Dei, non reprehenditur, sed laudatur à Christo, Luc. 21. & Apostolus 2. ad Cor. 8. Macedones laudat, quod non solum secundum virtutem, sed etiam supra virtutem eleemosynas fecerint.

B Neque repugnat huic sententiæ, quod in eodem loco adiungitur: *Non vt alijs sit remissio, vobis autem tribulatio.* Non enim significatur his verbis, nõ licere aliquid pati, vt succurratur necessitatibus aliorum, sed non debere ita fieri eleemosynam, vt is, qui accipit, fiat ditior, quàm is, qui dat; & incipiat, qui pauper erat, habere superflua; qui diues erat, carere etiã necessarijs. Ipse enim Beatus Apostolus non sine aliquo detrimento non solum personæ, sed etiam naturæ donabat populis id, quod iure exigere potuisset, & labore manuum se, ac suos, vt poterat, sustentabat. Actor. 20. & 1. ad Cor. 9.

C Sanctus Martinus cum pauperi occurrenti dimidium chlamidis dedit, non superfluum, sed planè necessarium dedit. Nam vt Sulpitius in eius vita, ca. 2. scribit, nihil præter chlamydem, qua indutus erat, habebat; iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Quàm autem id fuerit Christo gratum, testatur idem Sulpitius in eodem loco.

S G R E G O R I V S N A Z I A N Z E N V S, in oratione de obitu Gregorij patris sui, parentem valde commendat, quod non tantum superflua, sed etiam quæ necessaria sibi erant, pauperibus largiri solitus esset.

S A M B R O S I V S, cum non solum omnia sua, sed etiam Ecclesiæ sacra vasa conflat, ac pauperibus dari iussisset: de hoc facto suo ita scripsit in 2. lib. de officijs, cap. 28. *Hoc, inquit, maximum incentiuum misericordie, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum, quantum possumus, iuuenus, & plus interdum quàm possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quàm præterdere inclementiam.*

D Sanctus Hieronymus in vita Paulæ Romanæ refert eam cū esset alioqui ditissima, ita omnia pauperibus erogasse, vt ne quidem nummum filia dereliquerit.

Sanctus Paulinus Episcopus Nolæ, cum omnia quæ habebat, in captiuorum redemptione, & egentium necessitatibus consumpserat; ad extremum se ipse dedit in seruum, vt alium quendam à seruitute liberaret. Neque hoc eius factum reprehensum fuisse legimus, sed egregiè laudatum à Sancto Gregorio lib. 3. Dialog. cap. 1.

E Sanctus Benedictus, eodem Gregorio teste libro secundo Dialogorum, capite 28. cum videret provinciam in qua erat, fame grauius laborare, omnia quæ in monasterio reperire potuit, pauperibus erogauit.

Ipse quoque Sanctus Gregorius, cum aliquando pecunias omnes, & vestes, quas domi habebat, pauperibus dono dedisset, argenteum etiam vas, quod vnum remanserat, pauperi petenti dari iussit, dicens, malle se nihil habere, quàm pauperes sine consolatione dimittere. Vide Ioannem Diaconum in vita S. Gregorij lib. 1. cap. 10.

Sanctus Ioannes Eleemosynarius, vt in eius vita scribit Leontius, ita liberaliter omnia profusus, quæ habere posset, pauperibus erogabat, vt sæpè mira-

rentur tam effusam liberalitatem ipsi etiam qui eleemosynam accipiebant. Quibus ille respondere solitus erat, Frater nondum pro te sanguinem fudi, sicut mandauit mihi Dominus meus Christus.

CAPVT IX.

Quando ex malè partis eleemosyna fieri possit.

RESTANT opes malè partæ, de quibus etiam quæri solet, Vtrum exiis eleemosyna fieri possit, aut debeat. Sed facilis erit responsio, si illud teneamus, TRIA esse genera malè partorum. SÆPÈ enim ait sunt malè parta, vt iniustitia sit tantum eius qui acquisiuit, non eius, qui amisit, vt cum ex furto, rapina, vsura, lucrum accedit. INTERDVM verò iniustitia communis est, tum ei, qui accipit, tum ei, qui dedit; vt cum per symoniam, vel iudicij subuersionem, vel patriæ prodicionem aliquid acquiritur. DENIQVE, aliquando, nec in dante, nec in accipiente iniustitia est, & ideo lucrum eiusmodi non iniustum, sed turpe, ac sordidum appellatur, quale est lenonum, meretricum, & histrionum.

Igitur ex rebus malè partis PRIMO MODO eleemosyna fieri non potest nisi in extrema pauperum necessitate, quoniam eleemosyna ex proprijs fieri debet. Res autem malè partæ primo illo modo alienæ sunt, ac restitutioni obnoxia, Iob. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam.* Prouerb. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus.* Eccles. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata.* Isaia 54. *Frange esurienti panem tuum.* S. AMBROSIVS li. 1. de officijs, c. 30. *Non probatur largitas, si quod alteri quis largitur, alteri quis extorqueat: si iniuste quarat, & iniuste dispensandum putet.* S. AUGUSTINVS serm. 25. de verbis Domini: *De iniustis laboribus facite eleemosynam.* Et hom. 47. *De iniustis laboribus iussit (Deus) dari: de rapinis verò prohibuit dari.* S. GREGORIUS lib. 7. Epistolarum, epist. 110. *Eleemosyna redemptoris nostri oculis illa placet, qua nõ de illicitis rebus, & iniquitate congeritur, sed qua de rebus concessis, & bonè acquisitis, impenditur.* Vide eundem lib. 12. Moral. c. 24. & Theologos in 4. Sent. dist. 15. & 16. Quod autem contra obijci solet ex verbis Domini Luc. 16. *Facite vobis amicos ex mammona iniquitatis;* in vndecimo capite exponetur.

Iam verò ex rebus malè partis SECVNDO MODO, hoc est, cum lucrum est iniustum, tam ex parte dantis, quàm ex parte accipientis: eleemosyna quidem fieri potest, ac debet, quia lucrum illud ad pauperes pertinet; cum illud neque possit retinere, qui iniuste accepit, nec mereatur recipere, qui iniuste dedit: tamen ea propriè non tam eleemosyna, quàm restitutum dici debet, vt S. GREGORIUS affirmat loco citato epist. 110. lib. 7. vbi differens de eleemosyna ex lucro Simoniacò. *Neque enim, inquit, eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispenseretur, quod ex illicitis rebus accipitur.* Et infra: *Unde etiam illud certum est, quia et si monasteria, ac xenodochia, vel quid aliud de pecunia, que pro sacris ordinibus datur, construatur, mercedi non proficit, & c.*

Est OBSERVANDVM hoc loco, Simoniacum lucrum non semper pauperibus erogandum esse; sed interdum illi Ecclesiæ conferendum, in cuius iniuriam Simonia commissa est, de qua re vide titulum de Simonia in epist. Decretalibus.

POSTREMO, de lucro non tam iniusto, quàm turpi eleemosyna fieri potest; quamuis Ecclesia iustis de causis oblationes non admittat Histrionum, Lenonum, Meretricum, & similibus personarum. Id enim facit, TVM ob reuerentiam rerum facta-

rum, TVM vt eiusmodi homines confundantur, & resipiscant; TVM, ne videatur eorum facta approbare; TVM denique, ad imitationem testamenti veteris, in quo lege sancitum erat, vt non offerretur mercès prostibuli in domo Domini, Deuter. 23. Rectissime tamen facient isti omnes, si fructus dignos penitentia facere cupientes, peccata sua eleemosynis redimant, & iniquitates suas misericordijs pauperum, Danielis quarto.

CAPVT X.

Diuitias non esse Christianis illicitas.

EXPOSIVIMVS hætenus quattuor partes disputationis de eleemosyna. Nunc, vt QVINTAM & SEXTAM, id est, quis facere debeat eleemosynam, & cui facienda sit, explicemus: necessarium esse duximus, paucis demonstrare, licitum esse Christianis possidere diuitias. Nam cum diuitis sit eleemosynas facere, pauperis recipere: si nulli possint esse in Ecclesia diuites, sed omnia sint communia omnibus, nulli quoque pauperes esse poterunt. Ita fundamentum eleemosynæ dandæ & accipiendæ nullum erit.

Igitur nemo quod sciam, in quæstionem vocauit vnquam, An iure naturæ & gentium licitum esset, habere proprias opes. Tameñ enim Plato in Timæo & in lib. 5. de Repub. conatus est introducere communionem omnium rerum, etiam vxorum: tamen non docuit, illicitam esse proprietatem, sed communionem vtiliorem esse iudicauit. Quæ egrege refutauit ex Ethnicis Aristoteles li. 2. Polit. ex Christianis Tertullianus in Apologet. cap. 39.

Cæterum, non defuerunt, qui lege Euangelica diuitias, ac rerum proprietatem Christianis interdictas esse contenderent. Ita enim sensit quondam Iulianus Apostata, teste sancto Gregorio Nazianzeno oratione prima in Iulianum. Ita etiam hæretici, qui Apostolici nominari volebant, teste Epiphano hæresi 61. & Augustino hæresi 40. Ita quoque Manichæi, teste Augustino libro primo de moribus Ecclesiæ Catholice, capite vlt. Ita denique Pelagiani, teste Augustino in epist. octogesima nona ad Hilarium, & 106. ad Paulinum. Et quamuis non desint argumenta huic errori, verus tamen atque exploratus est error.

PRIMUM enim Dominus Matth. 19. petenti diuiti adolescenti, quid opus factò esset ad consequendam vitam æternam, non ait, Abijce omnes diuitias; sed, *si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Deinde consilium perfectionis, non præceptum necessitatis exposuit, dicens: *si vis perfectus esse, vade, vende omnia que habes, & da pauperibus, & c.*

SECVNDO, beatus Petrus Actor. 5. cum Anania dixit: *Nonne manès tibi manebat, & venundatus in tua erat potestate?* Satis aperte significauit, liberum fuisse Anania, quamuis Christiano agrum suum non vendere, & precium agri iam venundati, non offerre Apostolis, neque in commue conferre. Ex quo intelligimus id, quod narratur Actor. 4. de primis Christianis, qui in Hierusalem habitabant, quod nemo suum aliquid diceret, sed omnia essent illis communia; non præcepti, sed consilij fuisse.

TER TIO, B. Paulus in priore ad Timot. cap. 6. de diuitibus ita loquitur: *Diuitibus huius sæculi præcipe non superbè sapere, facile tribuere, & c.* At certè non decipiebat Apostolus diuites, & tamen non eis dicebat, Renunciate diuitijs.

QVARTO, Scriptura passim prohibet furta, imperat reddi debita, iubet solui tributa, commendat eleemosynas, & laudat mutantes: quæ certè omnia manifestè clamant, à Spiritu Sancto non improbari proprietatem, & rerum possessionem.

QUINTO, Semper in Ecclesia fuit vsus collectarum, hoc est, vt Dominicis diebus in conuentu Ecclesiæ à diuitibus colligeretur, quod pauperibus erogaretur, idque pro arbitrio, & voluntate diuitum, vt notū est ex Apostolo 1. ad Cor. 16. & 2. ad Cor. 8. & 9. ex Iustino in Apologia ad Antoninum extrema, & ex Apogetico Tertulliani, cap. 39. Quod autem in eo loco idem Tertullianus dicit, omnia indiscreta esse apud Christianos, præter vxores: nihil aliud significat, nisi omnia facillè, & libenter communicari cum cæteris, præter vxores.

SEXTO, Patres communi consensu docent, consilium esse, non præceptum, abdicare à se proprietatem, & dominium rerum suarum. Vide præter cæteros Eusebium in primo libro Demonstrat. Euangelicæ cap. 8. Chrysostomum homil. 8. de penitentia, Ambrosium in libro de viduis ultra medium, Hieronymum in epist. ad Hedibiam, quæst. 1. Augustinum in epist. 89. quæst. 4. & Bedam in commentario capituli 14. Lucæ.

POSTREMO, accedat ratio ducta ab utilitate, vel potius necessitate, diuisionis rerum, ex qua proprietas orta est. Siquidem fieri non potest posita corruptione generis humani, vt pacificè, ordinatè, ac diligenter res administrantur, nisi vnusquisque rerum suarum curam suscipiat. Nam si omnia essent communia, multi vellent rebus melioribus uti, atque inde rixæ, contentiones, & prælia orirentur, quæ causa fuit, cur Abraham separari coactus fuerit à nepote suo Loth. Gen. 13. ITEM si essent omnia communia, qui essent robustiores cæteris, illi sine dubio præuulerent, minus laborarent, & plura consumerent. DENIQUE si essent omnia communia, vix inueniretur, qui diligentiam adhiberet in agris colendis, & rebus cæteris procurandis. Quod si nō solum facultates, sed etiam vxores essent communes, periret virtus pudicitie coniugalis; incestus plurimi inter fratres & sorores, parentes ac filias sequerentur: liberi deniq; rectè institui nullo modo possent, cum nec parentes agnoscerent proprias proles, nec proles agnoscerent suos parentes, ac per hoc nulla esset prouidentia parentum erga filios, nulla obedientia filiorum erga parentes. Quis autem credat, legem Euangelicam, quæ perfectissima est, & naturam non destruit, sed exornat, de medio tollere voluisse utilitatem, quæ nascitur ex diuisione rerum; & incommoda, atque absurda illa adducere, quæ ex communiōe & confusione nascuntur.

CAPVT XI.

Soluuntur obiectiones.

ADVERSUS doctrinam capituli superioris multa fieri possunt argumenta, quæ breuiter soluenda sunt.

PRIMUM Argumentum, Matth. 19. Dominus ait, facilius esse camelum transire per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cælorum.

RESPONDEO, difficile, vel etiam impossibile esse diuitem intrare in regnum cælorum, nisi magna Dei gratia adiuetur. Nam vt plurimum diuites superbi sunt, voluptuarij, auari, crudeles, & nimium in ipsis diuitijs confidentes. Quocirca Marci 10. dicitur,

Filioli, quam difficile est confidētes in pecunijs in regnum Dei introire. Facilius est camelum per foramen acus transire, &c. Sed quoniam per gratiam Dei fieri potest, vt diues affectum inordinatum erga diuitias exuat, & ijs benè & sapienter vtatur; ideo subiungit Dominus: *Apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum.*

SECUNDVM argumentum, Marci 10. Adolescenti, qui omnia mandata seruauerat dicitur à Domino: *Adhuc unum tibi deest, vade, & quacunque habes da pauperibus.*

RESPONDEO, Adhuc vnum illi deerat, non ad vitam æternam parandam, sed ad perfectionem adipiscendam. Id quod ex Euangelio Matthæi, qui pluribus verbis rem eandem descripsit intelligi potest. Sic enim legitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Et paulò post, si vis perfectus esse, vade vende omnia, &c.*

TERTIUM argumentum, Lucæ 14. *Nisi quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

RESPONDEO, Præceptum hoc Dominicum in præparatione animi seruandum est semper, re autem ipsa, cū articulus necessitatis aduenerit, vt aut Christo, aut opibus renunciandum sit. Sic enim docent S. Augustinus in epist. 5. ad Marcellinum, & Beda in hunc locum, & colligitur hæc explicatio ex eodem loco Euangelij; vbi Dominus dicit: *Qui non odit patrem & matrem, & filios, & uxorem, &c.* Et tamè constat, parentes, & filios, & coniuges, nec auerandos, nec deserendos esse, nisi quando causa fidei & honoris Dei tale aliquid postulat.

QVARTVM argumentum, Lucæ 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c.* Quem locum ita explicant Chrysostomus homilia duodecima in priorē ad Timotheum, & Hieronymus in epistola ad Hedibiam, quæst. 1. vt dicant, diuitias appellari Mammonam iniquitatis, quia primi qui fecerunt sibi propria, quæ erant communia iniquitatem commiserunt. *Necesse est (inquit Chrysostomus) opum initium, ac radicem ex aliqua iniquitate manasse. Unde id constat? Ex eo scilicet, quod Deus ab initio non fecit alium diuitem, alium pauperem, sed eandem omnibus humum aperuit. Quo pacto igitur cum illa communis sit, tu illius permulta iugera possides, proximus verò nec vnus glebæ possessione letatur? Pater (inquies) mihi ista reliquit. Ille autem à quo ea suscepit? A maioribus scilicet. Sed necesse profecto est per successionis lineam ascendendo inuenire principium. Id autem iniustitia vacare non potuit.* S. HIERONYMVS in epistola ad Hedibiam, quæstione prima dicit esse prouerbum: *Omniem diuitem, aut esse iniquum aut iniqui heredem.* Et in epistola ad Algasiam quæstione sexta dicit: *Mammonam vocabulum esse Syriacum, & in eo significari diuitias quod ex iniquitate collecta sint.*

RESPONDEO, Cur diuitiæ ab iniquitate nomen acceperint, & iniquæ à Domino appellentur, non ea causa est quod semper iniuste possideantur, sed VEL quia valde inæqualiter possidentur, cū alij ditissimi, alij pauperrimi sint. VEL quia materiam præbent multarum iniquitatum, imo incitamenta sunt ad omnes iniquitates, vt Sanctus Ambrosius exponit in commentario, cap. 16. Lucæ. VEL quia iniuste sibi nomen diuitiarum vsurpant, cum verè diuitiæ non sint, vt S. Augustinus docet, sermone 35. de verbis Domini. Et libro 2. quæstionum Euangelij, cap. 34. quæ expositio confirmatur ex verbis sequentibus: *Si in iniquo Mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis?* Vbi verè opponitur iniquo, quia diuitiæ corporales falsò vocantur diuitiæ,

tiæ, & ideo iniuste nomen diuitiarum gerunt, quod proprie solis diuitijs spiritualibus cõuenit. **VEL** denique quia re vera vix fieri potest, vt aliquis sine iniquitate ditescat, vt Chrylostomus & Hieronymus docent: *Qui enim voluit diuites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, & desideria multa noxia & inutilia, qua mergunt hominem in interitum & in perditionem.* Vt ait Apostolus in 1. ad Timoth. cap. 6.

Nec tamen significat Chrylostomus & Hieronymus terræ possessionem diuidere & proprietatem inducere iniquum fuisse, sed in modo diuisionis indicant esse peccatum, quod aliqui multo plus terræ occupauerint quàm æquum esset, & eo modo alios excluderint. Quò tendit similitudo theatri, qua vtitur S. Basilius in oratione in illud: *Destruam horrea mea.* Non enim peccatum est occupare in theatro locum vnum, eumque satis commodum, sed occupare plus loci, quàm sibi necesse sit; ex quo sequitur, vt alius excludatur. Porro, S. Ioannes Chrylostomus in eadem homilia 12. in priorem ad Timotheum fatetur, multos esse, qui iuste diuitias possideant, & ponit exempla Patriarcharum, qui ditissimi simul & iustissimi erant.

QVINTVM argumentum, S. Clemens Papa primus in epist. 5. disertis verbis communionem omnium rerum necessariam esse docet: *Communis, inquit, vita omnibus necessaria est, & maxime his qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt.* Et infra: *Communis usus omnium, qua sunt in hoc mundo omnibus esse hominibus debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales facta diuisio est.*

RESPONDEO, Possent verba citata in bonam partem accipi, vt nimirum intelligamus vitam communem esse necessariam nõ simpliciter ad salutem, sed ad melius & facilius Domino seruiendum. Et per iniquitatem factam esse diuisionem rerum, id est, occasione peccati originalis, & communis deprauationis generis humani.

Cæterum non est opus in hac re multum laborare; constat enim eam epistolam aut non esse Clementis, aut ab aliquo valde corruptam ac deprauatam. **PRIMUM** enim initio epistolæ fingitur Clemens Romanus Episcopus scribere fratribus habitantibus in Hierusalem cum Iacobo. At Iacobus obiit septem annis ante Petrum, & Clemens non fuit Romanus Episcopus nisi post Petrum, vt colligitur ex libro sancti Hieronymi de viris illustribus, & ex omnibus historicis, qui res Ecclesiæ conscripserunt. Deinde, laudat fictitius iste Clemens communionem vxorum, quod Nicolai potius Hæresiarchæ, quàm S. Clementis dogma fuisse extra controuersiam est. Denique, totus hic locus de communionem rerum & vxorum, translatus est in hanc epistolam ex libro 10. Recognitionum, vbi ista secundum philosophiam Platonis dicuntur à Faustiano ethnico, & ab ipso sancto Clemente refelluntur. Quis igitur credat ea ipsa nunc à sancto Clemente tradita Christianis, quæ ipse idem alibi ab ethnico disputata refutauit?

SEXTVM argumentum, S. Athanasius in vita B. Antonij, & S. Basilius in oratione ad diuites, præceptum Dominicum vocat illa verba: *Vade, vende omnia qua habes, & da pauperibus.* Et rursus idem Basilius ibidem, & Ambrosius serm. 81. & alij Patres non raro docent, diuites non esse dominos, sed dispensatores rerum suarum.

RESPONDEO, Athanasius & Basilius rectè vocant præceptum Dominicum illa verba: *Vade, vende omnia, &c.* Sed intelligunt præceptum esse conditionatum, non absolutum, id est, non omnibus datum,

sed ijs tantum qui cupiunt esse perfecti. Porro, qui dicunt diuites non esse dominos, sed dispensatores, nihil aliud sibi volunt, nisi reddituros esse diuites rationem Deo, à quo diuitias acceperunt, vt non ipsi solum inde viuerent, sed etiam alios sustentarent.

SEPTIMUM argumentum communio rerum in vsu fuit apud Apostolos, Act. 4. & sancti Patres miris eam laudibus efferunt, & præsertim Chrylostomus hom. 12. in 2. ad Timot. & Augustinus in lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. & sequentibus. Non igitur necessaria est rerum diuisio, vt nos capite superiore docuimus.

RESPONDEO, Sæpè accidit, vt vnum ex se præstet alijs, & tamen ratione alicuius circumstantiæ eligi non debeat. Exempli causa dare operam litteris per se melius est, quàm artem aliquam mechanicam exercere; tamen non pauci sunt, quibus vel ob ingentem inopiam, vel ob ingenij tarditatem magis expediat artem futuriæ, quàm bonas litteras discere. Sic igitur communio rerum externarum per se melior est, quàm diuisio: & tamen ob corruptionem generis humani perniciosa esset, si omnibus hominibus imponeretur. Nam si homines paucis indigerent, vt animantia cætera, vel terra vbique sponte produceret omnia necessaria, vel nulli essent cupidi, nulli auari, nulli pigri, ac desides; optima esset vita communis, qualis erat in statu innocentia: sed quoniam nunc propter peccatum originis omnia sunt contraria, non expedit vitæ communio, nisi paucis illis, qui serio animam abstrahunt à rebus temporalibus & paucis contenti Deo soli seruire student, quales sunt Cœnobitæ, quos Augustinus & Chrylostomus laudant.

OCTAVVM argumentum. Iure naturæ omnia sunt communia, vt perspicuum est ex capite 1. & 9. Gen. vbi datur hominibus commune imperium in animantia, & in ea omnia quæ nascuntur ex terra. Et ex can. Ius naturale, dist. 1. non autem potuit iure gentium, quo dicitur introducta esse diuisio, abrogari ius naturæ: iniqua igitur fuit diuisio rerum, iure gentium introducta.

RESPONDEO, Iure naturæ sunt omnia communia, sed aliter quoad vsum necessariũ, aliter quoad dominium & proprietatem. Nam quoad vsum necessarium sunt omnia communia positiuè; ita vt per nullum aliud ius possit quicumque homo prohiberi, quominus viuat de rebus à Deo creatis. Atque hinc est quod in articulo necessitatis non dicitur, neque est fur, qui ex quocunque loco accipit, vnde viuat. At quod proprietatem & dominium iure naturæ sunt omnia communia negatiuè, id est, non sunt diuisa iure naturæ; sed tamen permissum est, vt diuiderentur, si id ipsi generi humano videretur expediens. Quemadmodum cum pater familias moritur, & filios in commune relinquit hæredes: hæreditas quidem est eis ex testamento communis, sed negatiuè, non positiuè, & ideo nihil prohibet, quo minus eam inter se diuidant, & vna pars vnus, altera alterius efficiatur propria. Itaq; diuisio rerum iure gentium introducta, iuri naturæ nullo modo repugnat.

CAPVT XII.

Quis eleemosynam facere, & cui eleemosyna fieri debeat.

EX FVNDAMENTO posito in capite 10. non difficile erit colligere quis eleemosynam facere, & cui eleemosyna fieri debeat. Siquidem cum

eleemosynam facere, diuitum, accipere pauperum sit: id sequitur, vt illi soli possint & debeant eleemosynam facere, qui verè diuites sunt, id est, qui proprietatem & dominium diuitiarum habent. Qui verò proprietatem & dominium non habent, vt vxores quæ sunt in potestate virorum, filij, qui sunt in potestate parentum, serui, qui sunt in potestate dominorum, & regulares, qui sunt sub potestate Præpositorum: non debent, nec possunt eleemosynas facere, nisi vel in extrema pauperum necessitate, vel ex consensu tacito, vel expresso superiorum; vel in certis alijs casibus, de quibus differunt, qui casus conscientia tradunt.

Quod verò attinet ad eos, quibus eleemosyna fieri debet, vna solum occurrit dubitatio, Vtrum videlicet peccatori sit eleemosyna facienda, cum scriptum sit Ecclesiastici 12. *Da bono, & ne receperis peccatorem; prohibe panes illi dare, &c.* SED facilis est RESPONSIO, nam peccatoribus, ea ratione, qua peccatores sunt, nõ est eleemosyna facienda; iisdem tamen, quia homines miseri sunt, facienda est; semper tamen cæteris paribus, anteposendi sunt boni malis; quando vtrisque succurri non potest. Et quidem nõ esse peccatoribus, qua peccatores sunt eleemosynam faciendam probat sanctus Augustinus in Psalm. 102. quia hoc nihil aliud esset, nisi diligere iniquitatem: & sicut qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet, id est, vitam æternam: Sic etiam qui recipit peccatorem in nomine peccatoris, mercedem peccatoris accipiet, id est, mortem sempiternam. Nam stipendium peccati mors est.

Peccatoribus verò non vt peccatores, sed vt homines sunt, non esse eleemosynam denegandam, probant illa verba Salomonis Prouerb. 25. *Si esuriis inimicus tuus, ciba illum.* Et illa Domini Matth. 5. *Benefacite his, qui vos oderunt.* Et Luc. 6. *Omni petenti tribue.* Et illa B. Pauli ad Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes.* Idem sancti Patres Gregor. Nazianzenus in orat. de obitu patris sui; Chrysof. ho. 21. in epist. ad Roman. Hieronymus in libro aduersus Vigilantium extremo; Augustinus in Psalm. 102. Et Gregorius in 3. parte pastoralis admonitione 21.

Anteposendos autem esse iustos iniustis, facile probari potest, TVM quia iusti sunt digniores, qui iuuentur, TVM etiam, quia id vtilius est ijs, qui eleemosynam faciunt, vt copiose docet S. Hieronymus in libro aduersus Vigilantium. Monent tamen Gregorius Nazianzenus loco notato, & Chrysofomus in oratione, quæ inscribitur, ne curiosè pauperes scrutemur, non oportere nimis accuratè pauperes interrogare, sed simpliciter propter Christum esse illis eleemosynam faciendam.

Sed occurrunt obiectiones aliquæ breuiter dissoluedæ. PRIMA est, quam initio posuimus ex capite 12. Ecclesiastici: *Da iusto, & ne receperis peccatorem, prohibe panes illi dare.* RESPONDEO, Videtur eo loco Ecclesiasticus non loqui de eleemosyna, quæ datur pauperi, sed de beneficio, quod in amicum confertur, etiam si fortè non egeat. Sic enim ait: *Si benè feceris, scito, cui feceris, da bono, & ne receperis peccatorem; benefac humili, & ne dederis impio. Prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit.* Itaq; prohibet Ecclesiasticus, ne beneficiamus impijs, quando non egent, quomodo multi beneficiunt histrionibus & meretricibus. Potest etiam vnico verbo responderi, prohiberi eleemosynam, quæ datur peccatori, vt peccator est.

SECUNDA obiectio, Lucæ 16. Dominus ait: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum*

defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. At peccatores non habent æterna tabernacula nisi fortè in gehenna. RESPONDEO, fortasse nomine amico- rum, intelligi debent Angeli sancti, vt S. AMBROSIVS in hunc locum scribens, monet; eos enim amicos nobis facimus, cum eleemosynas pauperibus quibuscunque propter Deum facimus. SED si nomine amicorum intelligantur ipsi pauperes, vt sanctus Hieronymus in libro aduersus Vigilantium, & S. Augustinus sermone 35. de verbis Domini, docent RESPONDENDVM erit, moneri nos à Domino, vt potissimè eleemosynas faciamus sanctis pauperibus, atq; ijs præcipuè, qui voluntarie sunt pauperes, id est, qui relicti omnibus sequuti sunt Christum. Ipsorum enim est regnum cælorum, Matth. 5. & ipsi habent thesaurum in cælo, & cum Christo iudices futuri sunt in nouissimo die, Matthæi 19.

Sed non ideo prohibemur peccatoribus quoque eleemosynam dare, quamuis moueamur solliciti esse, vt iustis & sanctis pauperibus præcipuè beneficiamus. Nam vt ait Apostolus ad Galat. 6. operari debemus bonum ad omnes, sed maximè ad domesticos fidei. Et quamuis pauperes peccatores non habeant in cælo æterna tabernacula, neque nos possint apud Deum sua intercessione iuuare; tamen eleemosyna ipsa propter Deum facta, non poterit esse inanis, dicente Ecclesiastico, cap. 29. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, &c.* (videlicet eleemosyna) *pro te exorabit ab omni malo.*

TERTIA obiectio, Dominus Matth. 25. dicit: *Quædiu fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis.* At peccatores nõ possunt rectè fratres CHRISTI nominari. RESPONDEO, Eadem est solutio. Dominus enim laudat eos, qui pijs pauperibus bona sua distribuunt, sed non reprehendit alios, qui non solum pijs, sed etiam peccatoribus beneficiunt, modo propter ipsum faciant, præsertim cum Matth. 5. iusserit nos imitari Patrem nostrum cælestem, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

QUARTA obiectio, Sæpè accidit, vt pauperes propter peccata sua inopiam patiantur: non igitur debemus eis opem ferre, ne cum Deo pugnare velle videamur.

RESPONDEO, Hoc argumentum proponit, & soluit S. Gregorius Nazianzen. in orat. de cura pauperum habenda. Summa responsionis hæc est, PRIMO, non facile cognosci posse, vtrum aliquis prematur inopia propter peccata sua, an propter aliam causam; cum sciamus, diuitias & paupertatem bonis & malis posse esse communes.

SECUNDO, etiam si certò sciremus, aliquem hominem iusto Dei iudicio, propter sua peccata, ad extremam inopiam esse redactum: tamen non propterea non esse illi eleemosynam faciendam. Hæc enim est pœna satis magna, si quis cogatur ex mendicatione viuere, quamuis mendicando inueniat vnde viuat.

TERTIO, si constaret, velle Deum vt aliquis fame moriatur, non tamen debere illum à nobis deseri, nisi speciali mandato id ipsum Deus imperaret, cum contra generale mandatum acceperimus operandi bonum ad omnes. Sæpè enim vult Deus aliquem per inediam interficere, & non vult tamen vti nostra inhumanitate ad eum interimendum. Quare si quis indigentibus ea de causâ non succurreret, quod existimaret, velle Deum vt in pœnam peccatorum fame enecarentur; is officium sibi tortoris assumeret, iudice non solum id non iubente, sed etiam prohibente.

CAPVT XIII.

Quomodo fit eleemosyna facienda.

QVINQUE potissimum cōditiones bonæ eleemosynæ ex Scripturis & Patribus colliguntur. **P**RI^{MA}, vt fiat intentione placendi Deo non autem ad captandam auram popularem. Matthæi sexto: *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere, &c.* Et: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Quo loco per dexteram intelligit S. AVGVSTINVS tractatu sexto in epistolam Ioannis, intentionem operandi propter vitam æternam, & intentionem operandi propter honorem temporalem, intelligit per sinistram: vt sententia Domini hæc sit, Cùm facis eleemosynam, caue ne intentio fauoris humani se admisceat intentioni vitæ æternæ.

SECUNDA, vt eleemosyna fiat promptè, & non extorqueatur precibus, nec differatur de die in diē. Prouerb. 3. *Ne dicas amico tuo, Vade & reuerte, cras enim dabo tibi, cum statim possis dare.* Sic Abraham Genes. 18. hospites rogat, vt ad se diuertant, non expectat vt ab eis rogetur, quod idem facit Lot, Genes. decimo nono. Tobias quoque, vt in eius historia capite primo legitur, per singulos dies discurrebat pauperes quærens, quibus eleemosynam faceret. Denique hoc faciendum monet sanctus Gregorius homilia 23. in Euangelia, explicans illud: *Et cœgerunt eum.*

TERTIA, vt fiat hilariter; Ecclesiastici 35. *In omni dato, hilarem fac vultum tuum.* 2. ad Corinth. 9. *Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datum diliget Deus.* Vide S. Ambrosium li. 1. de officijs, cap. 30.

QUARTA, vt fiat humiliter & existimet, qui dat eleemosynam, non tam se dare, quàm accipere beneficium. De qua re pulchrè scribit S. GREGORIUS libro 21. Moralium, capite 14. *Multum, inquit, ad edendam dantis superbiam valet, si cum terrena tribuit, verba sollicitè Magistri celestis penset, qui ait, Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Si enim eorum amicitias æterna tabernacula acquirimus, dantes proculdubio pensare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quàm egenis dona largimur.*

QUINTA, vt abudanter fiat pro modo facultatum

A Tobias 4. *Quomodo potueris, ita esto misericors, si multum tibi fuerit, abundanter tribue: Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.* Apostolus 2. ad Corinth. 8. dicit eleemosynam dandam esse, vt benedictionem, nō vt auaritiam. Quoniam *qui parce seminat, parce & metet.* S. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. 37. ad populum Antiochenum: *Non dare, inquit, sed cum copia dare eleemosyna est.* Et ibidem addit, eos qui audiri volunt cum dicunt Deo: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* debere etiam misereri pauperum secundum magnam eleemosynam suam.

Hic tamen illud est **O**BSE^RANDVM eleemosynæ largitatem magis in eo constitui debere, vt multis aliquid, quàm vt paucis multum detur. Id enim significat Scriptura cum dicit Psal. 111. *Dispersit dedit pauperibus.* Et Isaia 58. *Frangere esurienti panem tuum.* Frangere enim distribuere significat. Et 1. ad Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c.* Tobias (vt dicitur cap. 1.) *quotidie pergebat per omnem cognationem suam, diuidebat que singulis, prout poterat ex facultatibus suis.* S. AMBROSIVS libro primo de officijs, cap. 30. *Non sunt, inquit, profundenda opes, sed dispensanda.* S. HIERONYMVS in vita Paulæ Romanæ: *Solent, inquit, pleræq; matronarum in paucos largitate profusa, manum à ceteris retrahere, quo Paula omnino carebat vitio. Ita enim singulis suam pecuniam diuidebat, vt singulis necessarium erat, non ad luxuriam, sed ad necessitatem.*

Accedit etiam ad hoc probandum manifesta ratio; sic enim pluribus subuenitur: plures orant pro eo, qui eleemosynam facit: & ipse facilius inanem gloriam vitat.

Cæterum per ea, quæ diximus, non excluditur, quin aliquando contra etiam fieri possit, vt si virgo matrimonio collocanda sit, vel captiuus redimendus, vel sacræ ædes, aut cimiterium extruendum. Nulla enim est in hac re certior regula, quàm pia charitas cum vera prudentia, & vera prudentia cum pia charitate coniuncta. Vide sanctum Gregorium tertia parte pastoralis admonitione 21. qui quod ipse egregiè præstabat opere, vt eleemosynas non minori largitate, quàm prudentia charitate profunderet, idem etiam vt alij facerent, litteris ad posteritatem scriptis non minus piè, quàm sapienter admonuit.

L A V S D E O.

Finis Vltimæ Controuersiæ

P R I N C I P A L I S.



I V D I C I V M
R O B E R T I B E L L A R M I N I
P O L I T I A N I,
S. R. E. C A R D I N A L I S,
De Libro quem Lutherani vocant Concordiæ;
C V M A P O L O G I A B R E V I
P R O E O D E M I V D I C I O.

I V D I C I V M
D E L I B R O C O N C O R D I A E
L V T H E R A N O R V M.

LIBER CONCORDIÆ, nuper editus à Lutheranis, tria mihi continere videtur, præter communes & notos Lutheranorum errores, insignem videlicet vanitatem, grauiſſimas hæſes contra Symbolum Apoſtolicum & mendacia innumerabilia, apertiſſima, atque inter ſe pugnantia. De ſingulis ordine dicemus.

De Vanitate Concordiæ.

LNSIGNIS igitur vanitas in ſubſcriptione perſpicitur. Quorſum enim atinebat, vt omnes miniſtri, concionatores, ludimagiſtri, hypodidaſcali, ſubſcriberent? Certè non poteſt exemplum vllum, eiſmodi ſubſcriptionum, in negotio fidei, ab antiquitate peti. Siquidem ab Apoſtolicis temporibus per annos mille quingentos, in omnibus Concilijs, tam generalibus, quàm nationalibus, aut prouincialibus, ſoli Prælati, qui iuriſdictionem aliquam habent, ſubſcribere conſueuerunt. Sunt etiam interdum addita nomina Imperatorum, aut Regum, aut Principum aliquorum; ſed ludimagiſtrorū & hypodidaſcalorū, nulla vſquam inuenitur mentio. Deinde iſta ſubſcriptio ad librum Concordiæ, ingentis diſcordiæ ſignum eſt. Qualem enim vnionem inter Lutheranos eſſe exiſtimabimus, quando non ſolum Principes ad Concordiam redigi ſed etiam priuati homines, ad ſubſcribendum cogi debuerunt? Et quamuis numeroſa ſubſcriptio eſſe videatur, eſt tamen ipſa quoque argumentum paucitatis. Nam ſi Catholica Eccleſia eiſmodi ſubſcriptionem requireret, in puncto temporis haberet non octo millia, ſed plus quàm octingenta millia ſubſcribentium, neque ex ſola Italia libentiſſimè ſubſcriberent innumerabiles Presbyteri & Diaconi, atq; Scholarum & Gymnaſiorum Præfecti, ſed etiam ex Hiſpania, Germania, Gallia, America, Braſilia, India, Iaponia; nec deeſſent etiam ex Britannia & Paleſtina. Deniq; tam numeroſa ſubſcriptio, inexcusable reddit tam multa, & tam craſſa mendacia, quæ nos infra annotabimus. Si enim vnus tantùm aut alter librum iſtum, antequàm ederetur, vidiffet, ignoſci poſſet fortalle humanæ imbecillitati, ſi aliquid erroris obrepiſſet: at quod ſedecim milia oculorum craſſiſſima illa mēdacia, deprehendere non potuerint, quis ferat? Alterum profeſſò neceſſarium eſt, aut cæcos omnes fuiſſe, aut etiam cum mendacijs Concordiam facere voluiſſe.

De erroribus Concordiæ, diſcordantibus à Symbolis in ipſa Concordiâ receptis.

I. E R R O R.

PRIMVS error eſt, quod Chriſtus non ſolum vt homo, ſed etiam vt Deus, Patri fuit obediens. Qui error deſtruit pœnitens verā diuinitatem Chriſti, quam Symbolum Nicænum contra Arianos aſſeruit. Nam ſi Chriſtus vt Deus Patri obediuit, certè vt Deus à patre diſtinguitur; alius igitur Deus eſt pater, alius Deus eſt filius: ſed vnus tantum eſt verus Deus & conſtat Patrem eſſe verum Deum, non igitur filius eſt verus Deus, nec ὁμοῖος Patri, vt in

A Nicæno Symbolo conſitemur. Rurſum qui obedit, minor eſt illo cui obedit; nam imperare ſuperioris, obedire inferioris eſt: Ergo ſi Chriſtus vt Deus patri obedit, Deus minor eſt patre, & mentitur Symbolū Athanaſij, cū ait: *Æqualis patri ſecundū diuinitatem, minor patre ſecundū humanitatem.* Ad hæc ſecundum illam naturā Chriſtus obediuit, ſecundum quam mortuus eſt: nam ipſa mors, obedientia fuit ſumma, & abſolutiſſima: at non eſt mortuus Chriſtus ſecundū diuinitatem, ſed ſolum ſecundum carnem, 1. Pet. 4. Chriſto igitur in carne paſſo, &c. Deniq; cur Apoſtulus Paulus, ad Philippenſes ſecundo dicturus, humiliavit ſemetipſum, factus obediēs vſque ad mortē, præmiſit; exiſtimauit ſemetipſum formā ſerui accipiēs; niſi vt nos admoneret, non ſecundum formam Dei quæ æqualis eſt patri, ſed ſecundum formam ſerui, quæ minor eſt patre, Chriſtum obedientiam vſque ad mortem Deo patri præſtitiffe?

B SED fortalle non habet Concordia hunc errorem. Inſpiciamus igitur an ita ſit. In Epitome articuloꝝ controuerſorum, art. 3. pag. 556. *Credimus, inquit, docemus, & cōſitemur magno cōſenſu, quod Chriſtus quidē verè ſit noſtra iuſtitia; ſed tamen neque ſecundū ſolam diuinam naturā, neque ſecundum ſolam humanam naturam: credimus autem Chriſtū totum ſecundum vtramque naturā, eſſe noſtram iuſtitiam: in ſola videlicet obediētia ſua, quam ille Patri ad mortē vſque, abſolutiſſimam præſtitit.* hæc illi. Si igitur iuſtitia noſtra, id eſt, nobis imputata, totus Chriſtus eſt, ſecundum vtramque naturam, & iuſtitia illa in obedientia conſiſtit, quam Chriſtus patri vſque ad mortem exhibuit, certè ſequitur Chriſtum totum ſecundū vtramque naturam Deo patri obediētiā præſtitiffe. Et infra, pag. 664. *Ac ſentiendum eſt, inquit, quod iuſtitia noſtra, neque in diuina neque in humana natura, ſed in tota ipſius perſona cōſiſtat: quippe, qui vt Deus, & homo, in ſola ſua tota, & perfectiſſima obediētia, eſt noſtra iuſtitia.* Quid eſt, qui vt Deus & homo in ſua obediētia eſt noſtra iuſtitia, niſi Chriſtus vt Deus, vt homo, patri obediuit, & ea obediētia, noſtra obediētia reputatur? Nec eſt idem, Deus & homo patri obediuit, & Chriſtus vt Deus & homo patri obediuit. Illud enim perſonæ diuinæ obediētiā tribuit, ſed in natura humana, & Catholicum eſt: hoc verò vtriſque naturæ tribuit obediētiā, & Arianum eſt. Et pag. 663. *Tota totius perſonæ Chriſti obediētia, quā ille patri vſque, ad ignominioſā crucis mortē, noſtri cauſa, præſtitit, nobis imputatur.* Et infra: *Cū autem obediētia Chriſti, non ſi vnus dūtaxat natura, ſed potius perſona, &c.* Et in his locis, quare dicunt totius perſonæ obediētiā illam fuiſſe? Non ſatis erat dicere, fuiſſe perſonæ? Sed vtriſque naturæ obediētiā non tribuiſſent, niſi totius perſonæ dixiſſent. Per totam enim perſonam duas naturas, pag. 727. ſignificare ſe dicunt. Nec mirum eſt, Profeſſores Auguſtanæ Confeſſionis & Apologia

ita sentire quandoquidem ipse primarius, tam Confessionis quàm Apologiæ architectus Philippus Melancthon, in Locis communibus anni 1556. loco de Filio, pag. 40. ita scripsit; *Natura diuina, non est quidem lacerata, aut mortua, sed fuit obediens Patri, quicquid, cessit ira aterni Patris.* Et Martinus Lutherus in libro de Concilijs, & Ecclesia, non solum obedientiã, sed etiam passionem diuinitati tribui posse contendit.

II. ERROR.

ALTER error est, quod Christus fuerit perfun-ctus munere mediatoris, & Pontificis, non solum per humanam naturam, sed etiam per diuinam. Sic enim habent verba Concordiæ, pag. 736. in articulo de persona Christi: *Itaque Christus est noster mediator, redemptor, Rex, summus Pontifex, &c. Non secundum vnã tantum naturam, siue diuinam, siue humanam, sed secundum utramque naturam.* At quod Christus sit mediator, & Pontifex secundum utramque naturam, & ideo non solum vt homo, sed etiam vt Deus, error est, qui apertè pugnat, cum Christi vera diuinitate, & proinde cum Symbolo fidei, vbi dicitur Christus, Deus verus, de Deo vero. Nam mediator per id quo munus mediatoris exercet, necessariò distinguitur ab eo cuius est mediator. Est autem distinguitur mediator Dei & hominum. Ergo, si vt Deus mediator est, vt Deus à Deo distinguitur; erunt igitur duo dii, vnus maior, alius minor, vt Ariani volebant. Quocirca Beatus Paulus, 1. Timot. 2. cum dixisset, Vnus est mediator Dei & hominum, mox adiunxit, homo Christus Iesus. Et B. Augustinus lib. 2. de peccato Originali cap. 28. Non per hoc, inquit, mediator est, quod æqualis patri, per hoc enim quantum pater, tantum & ipse à nobis distat: & quomodo erit mediætas, vbi eadem distantia est? Ideo Apostolus non ait, Christus Iesus, sed homo Christus Iesus, per hoc ergo mediator, per quod homo inferior Patri, per quod nobis propinquior: superior nobis, per quod patri propinquior. Quod apertius ita dicitur inferior patri, quia in forma serui: superior nobis, quia sine labe peccati. Et tractatu 82. in Ioannem, Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est, Christus Iesus. Deinde si Christus, vt Deus, mediator est, sequitur vnum è duobus, aut totam Trinitatem esse mediatricem, aut Christum non esse vnum Deum cum Patre & Spiritu sancto, sed alium quendam Deum. Nam quod vni personæ conuenit ratione Deitatis, id etiam alijs omnibus personis conuenit quæ habent eandem Deitatem. Igitur esse mediator, quod filio conuenit ratione Deitatis, quandoquidem vt Deus mediator est, cõuenit etiam Patri & Spiritui sancto, si vnã & eandem cum filio Deitatem habent; vel si non conuenit, certè non habent. Deniq; esse Pontificem & Sacerdotem, intrinsicè & essentialiter includit esse creaturam, & longè minorem eo, cui sacrificium offerri debet. Omnis enim Pontifex & Sacerdos minister Dei est, & cultu latriæ Deum summum colit, dum ei sacrificium offert. Ergo si Christus, vt Deus est, Pontifex etiam est, & Patri suo sacrificium defert, profectò vt Deus, patre suo longè minor, atq; adeo verè & propriè creatura est. Hinc videlicet Ariani inter propositiones suas, quæ leguntur apud Augustinum tom. 6. in sermone Arianorum, etiam istam numerabãt, quod filius Dei minister & Sacerdos sit Patris sui. Ipse verò B. Augustinus lib. 1. de consensu Euangelistarum, c. 3. Secundum hominem, inquit, Christus & Rex, & Sacerdos effectus

A est, vt esset ad interpellandum pro nobis mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus. Et lib. 10. de Ciui. Dei, c. 20. Vnde, inquit, verus ille mediator, in quantum formam serui accipiens, mediator effectus est Dei & hominum, cū in forma Dei factus, sacrificium cū Patre sumat, cum quo est vnus Deus. Et S. Cyrillus in Apologia pro capitulis suis aduersus Orientales, in defensione decimi capituli, Quando, inquit, factus est homo vocatus est & Pontifex, non quod maiori Deo offerret sacrificium, sed sibi ipsi & Patri. Et infra: Dicitur est, inquit, Sacerdos propter humanitatem. Et lib. 11. in Io. c. 7. In quantum, inquit, filius & Deus est, vna cum Patre bona nobis largitur, in quantum verò mediator est, & Pontifex nostras preces ad Deum adducit.

III. ERROR.

TERTIVS error est, quod natura humana Christi sit vbiq; verè, & realiter. Sic enim loquitur liber Concordiæ, in articulo de Cœna Domini, pagina 572. *Dextera Dei vbiq; est; ad eam autem Christus, ratione humanitatis sua, verè & ipse collocatus est: ideoque presens gubernat, in manu sua, & sub pedibus suis, vt Scriptura loquitur, habet omnia que in celo sunt & in terra.* Et infra pag. 731. *Reuera omnia implet, & vbiq; non tantum vt Deus, verum etiam vt homo, presens dominatur à mari ad mare.* Et similia leguntur, pag. 745.

C PORRO hic error repugnat primò Scripturis, quæ passim asserunt, Christum ratione humanitatis, alibi non fuisse. Ioan. 6. Cum vidisset turba, quia Iesus non esset ibi. Ioan. 11. Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. Matthæi vltimo: Non est hic, surrexit.

Secundo repugnat articulis Symboli, de Christi conceptione, natiuitate, passione, morte, descensu ad inferos, resurrectione à mortuis, ascensione ad cœlos, & descensu ad iudicandum. Nam articulus de Conceptione, docet in solius MARIÆ vtero corpus Christi fuisse; At si vbiq; fuit statim ab incarnatione, vt aduersarij docent, fuit in vteris omnium foeminarum, imò etiam omnium virorum. Articulus de Natiuitate, docet, Christi corpus post nonum mensem ex vtero prodijisse, & sic verè esse natum. At secundum Vbiq; itas, ante nonum mensem, imò primo die conceptionis fuit extra vterum, & post nonum mensem adhuc erat in vtero, nec inde vnquam exijt. Nec valet responsio quam adferunt, cum dicunt, Christum verè esse natum, quia cum fuisset in vtero localiter spatio nouem mensium, & non alibi, postea esse cœpit localiter extra vterum, & non in vtero. Hæc inquam solutio nihil valet, nam quod verè est vbiq; siue localiter, siue alio modo sit, nõ potest verè & propriè moueri de loco ad locum, sed solum potest metaphoricè moueri, id est, apparere, vbi non apparebat, licet ibi esset. Quemadmodum Deus, qui vbiq; verè est, tamen non localiter, moueri non potest, sed solum apparere, & ostendere se, vbi antea non videbatur esse, quamuis ibi esset. Eodem igitur modo, si corpus Christi ab ipsa conceptione vbiq; fuit, licet non localiter fuerit vbiq; tamen nunquam verè moueri potuit de loco ad locum; & proinde Natiuitas ex vtero, non verus ex vtero egressus, nec vera natiuitas, sed tantum apparens, & metaphorica fuit. Pari ratione destruuntur cæteri articuli. Qui enim semper vbiq; fuit, non verè potuit in passione transire de loco cœnæ ad hortum, nec de orto ad domum Caiphæ, nec inde ad prætorium Pilati, nec inde ad mōtem Caluariæ: nec

potuit in morte separari anima à corpore, ita vt corpus sine anima in sepulchro iaceret, & anima sine corpore ad inferos descenderet: nec potuit verè anima in resurrectione ad corpus redire, nec corpus illud rediuiuum de clauso sepulchro egredi, nec intrare ad discipulos ianuis clausis; nec denique verè potuit in cœlum conscendere, nec poterit verè in nouissimo die de cœlo descendere; Sed hæc omnia metaphoricè exponi debent, quemadmodum cum de Deo legimus eiusmodi mutationes.

TERTIO, repugnat hic error veritati corporis Domini in Cœna, & quod admirabile est, confirmat Zvinglij sententiam, ad quam destruendam excoGITATUS est. Nam si corpus Christi, ab ipsa conceptione est vbique, non egemus Sacramento Cœnæ, vt præsentiam habeamus corporis Domini. Quid igitur Sacramentum Cœnæ facit? non exhibet certè præsentiam corporis Domini: nam hæc antea quoque aderat. quid igitur facit? nisi hoc quod significat Christi corpus adesse? Ad hoc volût Zvingliani, ex vi Sacramenti Cœnæ nihil nos habere, nisi signum. Et hoc idem viderit liber Cœcordiæ agnoscere, pag. 745. cum ait: *Quare cum præsentem habemus, non tantum secundum diuinam, verum etiam secundum humanam naturam iuxta quam ipse frater noster est, & nos caro sumus de carne eius, & os de ossibus eius. Et sanè in huius etiam rei confirmationem, sacram suam Cœnam instituit: vt testaretur se etiam secundum eam naturam, qua carnem & sanguinem habet nobiscum esse, in nobis habitare, & efficaciter operari velle.* Præterea, si Christi corpus vbique est; non potest verè cum pane, quantumlibet consecrato, sumi, nec sanguis eius cum vino, quantumlibet etiam consecrato bibi. Nam panis & vinum ideo sumi verè possunt, quia non sunt vbique, & proinde verè transeunt de mensa ad manum, de manu ad os, de ore ad stomachum: quæ de Christi corpore & sanguine dici non possunt, si vbique sunt: quemadmodum licet Deus vbique sit, nemo tamen cum pane Deum comedit, nec cum vino Deum bibit. Quorsum igitur Eucharistia? vt habeatur Christi corpus fructuosè, dicit aliquis Brentianus; Ergo solus fructus, sola efficacia, sola virtus corporis Domini sumitur in Cœna; at hoc ipsum docent Calvinista.

QUARTO, repugnat hæc vbiquitas decreto Dresdeni, quod in eadem Saxonia, ab ipsodem Confessione Augustanæ Theologis, ante annos circiter decem promulgatum est, id est, anno 1571. vbi præter alia hæc verba leguntur: *Commentitia ista communicatio physica, qua nostro primum tempore cum vbiquitate corporis Christi introduci cepta est, vniuersa Orthodoxæ Ecclesiæ, & toto orbi Christiano, inde vsque ab initio incognita fuit atque etiamnum à Pontificiis ipsis reijcitur, & taxatur acerrimè.* Et infra: *Commentitia illa vbiquitas, horrendum in modum corripit omnes penè articulos fidei de Christo, ac discrimen diuina & humane nature in Christo, in primis delet atque euertit.* Hæc ibi tunc. Nunc autem Sacrosanctæ fidei dogmata esse debent, quæ ante annos decem pestilentissimæ hæreses erant. Ista videlicet est constantia Theologorum Saxoniorum.

QUINTO, repugnat sententiæ primarij auctoris Confessionis, & Apologiæ, qui duo libri primū locum in Concordia obtinent. Philippus siquidè Melancthon in epist. ad Fridericum Comitem Palatinum, quam scripsit anno 1551. ita loquitur; *Alij vbiquitate excogitarunt.* Et addit: *Hæc sunt portioſa omnia, ignota erudita verustari.* Deniq; repugnat S. Augustino, & omnibus Patribus. Ac, vt cætera omitamus, August. in epist. 57. ad Dardanum, non solum

docet, Christi humanitatē non esse vbique, sed etiam soluit primarium argumentum aduersariorum. Illi enim existimant, necessariū sequi, vt Christi humanitas sit vbique, si coniuncta est personaliter Verbo, quod sine dubio est vbique. At S. Augustinus, Homo, inquit, Christus, illo die secundum carnem in sepulchro, secundum animā in inferno futurus, Deus verò idem ipse Christus, vbique; semper est. Et infra: Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique vt Deus. Nam & de nobis verissima Scriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamē sicut ille, vbique; sumus; Sed aliter homo ille in Deo, quoniā aliter & Deus ille in homine proprio quodam & singulari modo. Vna enim persona Deus & homo est, & vtrumque est vnus Christus Iesus, vbique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. hæc ille. Neq; hîc locū habent distinctiones de varijs modis essendi in loco. Nam S. Augustinus negat in forma idipsum, quod aduersarij docent. Ipsi enim volunt, propter vnionē hypostaticam, Christi humanitatem necessario esse debere, vbicumq; est Verbum, modo quodam supernaturali, & diuino: at hoc idem Augustinus negat. Et præter exemplum ab eo adductum, habemus etiam insigne exemplum in anima rationali. Nam caput vnitum est animæ, & tamen non vbicumque est anima, ibi cōtinuo est caput; cum anima sit etiam in pedibus, vbi certè non est caput.

IV. ERROR.

QUARTVS error est, quod Christi humanitati sint collata verè & realiter, multa attributa diuina, vt omnipotentia, omnisciētia, omnipræsentia, atque aded ipsa diuina Maiestas. Qui error destruit veritatem humanitatis Christi renouat hæresim Eutychetis, & pugnat cū Symbolo fidei. Nam si Christi humanitas, verè & realiter non solum est vbique, quia est in toto mundo, sed quia habet omnipræsentiam & immensitatē, quam habet Verbum, & proinde est in infinitis spatijs imaginarijs extra mundum, vel certè esse potest: profecto & formaliter infinita & immensa; & cum nō sit infinita magnitudine mollis, vt aduersarij concedunt, nam dicunt eam non esse diffusam vbique localiter, infinita erit magnitudine virtutis; Infinita autē virtus infinitam essentiam requirit. Est igitur Christi humanitas essentia infinita; & proinde vel est conuersa in Deitatem, vel duo sunt entia infinita. Idem argumentum de omnipotentia, & alijs Dei attributis fieri potest. Sed verba Cœcordiæ audiamus, pag. 731. *Adeptus autē est Christus secundū humanam naturam, plenam possessionem, & diuinam maiestatis usurpationē.* hæc ibi. Iam si Christus secundum humanam naturam adeptus est diuinam maiestatem; ergo secundum humanam naturam est Deus: Ergo secundum humanam naturam non est homo. Nec enim idem secundum idem, duo disparata esse potest. Et pag. 744. *Iam etiā secundum assumptam humanā naturam, omnia nouit, & reuera omnipotens est.* hæc ibi. Ecce quā aperte dicunt, Christum vt hominem esse omniscientem, & omnipotentem: quod quid est aliud, quā dicere; Christum vt hominem, non esse hominem, sed Deum? Et pag. 745. *Scriptura sacra hæc maiestatem omnipræsentia soli Christo, nulli autē alij homini tribuit.* Et paulo antè dixerāt, se de Christi humanitate loqui, & non de sola diuinitate, cum Christo tribuunt omnipræsentiam. Denique pag. 738. prolixè docere conantur, Christi humanitatem capacem esse infinitorum attributorum,

verè & realiter sibi communicatorum per hypostaticam vnionem. Nec satis expediunt se, cum dicunt, hanc esse idiomatum communicationem, quam etiam veteres Patres agnouerunt. Nam communicatio idiomatum, secundum Patrum doctrinam, non tribuit vni naturæ ea quæ sunt alterius, sed tribuit vni supposito vtriusque naturæ proprietates. Vide de communicatione idiomatum, Ambrosii. li. 2. de fide, c. 4. Augusti. lib. 1. de Trinitate, cap. 13. Cyrillum in defensione 4. Anathematismi. Et Ioan. Damascenum lib. 3. cap. 4. Et præterea communicatio idiomatum, quam Patres agnoscunt, mutua est, & non minus Deo conuenit quàm homini. At aduersarij, humanæ naturæ tribuunt realem communicationem diuinorum attributorum; Diuinæ autem non tribuunt realem communicationem humanarum proprietatum; vt in hac ipsa Concordia disertè docent, pag. 736. Itaque rectè Dresdense decretum, cuius supra mentionem fecimus, ab ipsidem Saxonis ministris editum, ita alicubi habet; *Quod præcipuū fidei nostræ, & Ecclesiæ caput est, videlicet articulum de duabus naturis in Christo idiomatum realium & physica, in ipsis naturis communicatione, deprauari horribiliter: atq; è cōtrario, hereses iam olim damnatas, Marcionitarū, Arianorum, Manichæorum, Samosatensium, Valentinianorū, Sabellianorum, Nestorianorū, Eutybianorum, & Monothelitarū, reduci atq; innouari, satis euidenter demonstratum est. Hæc ibi.*

V. ERROR.

QUINTVS error est, quod vnio hypostatica consistat in communicatione diuinorum attributorum. Tamen enim pag. 744. videntur dicere cōmunicationem istam esse posteriorem vnione hypostatica; Sic enim loquuntur: *Propter vnionem autem hypostaticam, & ex ea consequentem communicationem, &c.* Tamen in pluribus locis apertè indicant, in ista communicatione consistere vnionem hypostaticam, pag. 729. *Propter hanc, inquit, hypostaticam vnionem, quæ sine vera illa communicatione nec cogitari, nec subsistere potest, &c.* At certè id non est posterius, sed est verè de essentia, sine quo alterum nec esse, nec cogitari potest. Et pag. 730. *Et sanè, inquit, veteres Ecclesiæ Doctores, duo hæc vocabula, κοινωνία & ἁνωσις, communicationem & vnionem in explanatione huius mysterij coniunxerunt, & alterum per alterum declararunt.* En quàm apertè idem esse volunt vnionem hypostaticam, & suam illam communicationem proprietatum. Cum ergo dicunt, vnum ex altero sequi, vel manifestè secum pugnant, vel intelligunt de consecutione Logica, non Physica, quo modo dicimus, ex eo quod aliquis est homo, sequi vt sit animal rationale.

Porro hæc sententia, quod vnio hypostatica consistat in illa communicatione diuinorum attributorum, destruit omnino mysterium incarnationis. Nam in primis, cum diuina attributa, id est, omnipotētia, omniscientia, omnipræsentiā, & similia, sint communia toti Trinitati; Si in illorum communicatione consistit vnio hypostatica, sequitur, omnes tres personas esse incarnatas. Vt enim secundum Catholicam fidem, quam exposuerunt, vetera Concilia generalia, 3. 4. 5. & 6. idè sola persona filij incarnata est, quia vnio facta est per communicationem subsistentiæ propriæ ipsius filij: ita secundum aduersariorum sententiā totam Trinitatem incarnatam esse necesse est, cum vnio facta sit in eo quod est cōmune toti Trinitati.

A Deinde si vnio hypostatica consistit in communicatione attributorum, sequitur, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnitos esse hypostaticè, atque vnā tantum esse personam. Nam Pater gignendo Filium, omnia sua attributa illi communicauit, & similiter Pater & Filius producendo Spiritum sanctum, omnia sua attributa illi communicarunt. Præterea, aut volunt hypostaticam vnionem consistere in communicatione omnium attributorum, vel aliquorum tantum; si omnium, impossibilis erit vnio hypostatica. Nam inter attributa Dei, numeratur vera æternitas, quæ principio & fine caret: at impossibile est rem creatā carere principio, & saltē certum est, Christi humanitatem non fuisse ab æterno. Pari ratione, Dei proprium est, carere principio effectiuo; at id nullo modo creaturæ cōmunicari poterit. Si verò aliquorum tantum; quis dicere poterit quæ sint illa, cum eadem sit ratio omnium? Vt enim esse potest vnio hypostatica, sine communicatione æternitatis, cur non poterit esse sine cōmunicatione omnipræsentiæ, vel omnipotentia? Deniq; ista attributa non possunt esse naturæ humanæ essentialia, erunt igitur accidentalia; id quod liber Concordiæ asserere videtur, cum pag. 741. explicat istam communicationem per operationem diuinitatis, quam exercet per humanitatem. At hæc ipsa est Nestorij hæresis, qui Verbum cum homine per operationem coniungebat; estque hæc hæresis expressè damnata in Concilio V. generali, cap. 4. & 5.

VI. ERROR.

SEXTVS error est, quod totus Christus, Deus & homo, ad inferos descenderit. Id quod apertè sequitur ex tertio errore, & præterea in ipsa Concordia disertè asseritur, pag. 750. *Simpliciter, inquit, credimus, quod tota persona Deus & homo post sepulturā ad inferos descenderit.* Atq; hic error cū duobus, imò etiā tribus articulis Symboli pugnat: destruit enim mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi. Nam si Christus homo descendit ad inferos, viuus non mortuus descendit; mortuus enim non est homo, cum omnis homo per mortem desinat esse homo. At si Christus viuus, & de cruce descendit, & viuus peruenit ad inferos, non anima solum descendit, sed etiam caro; non enim sola anima homo dici potest; quod si anima & caro descendit, quid quæso iacuit in sepulchro? Denique si Christus semper fuit homo, nec vnquam verè mortuus aut sepultus est, certè nec verè etiā resurrexit; non enim resurgit homo, nisi quando per nouam vitam iterum incipit esse homo, qui per mortem desiderat esse homo. Atque hæc pauca de erroribus contra Symbolum sufficientiant.

Mendacia Concordiæ.

I. MENDACIVM.

MEN PRÆFATIONE Concordiæ, atque ad eò in iplo principio præfationis, habetur illustre mendacium de Confessione Augustana, quod videlicet in totū orbem terrarum sparsa, vbique percubuerit, & in ore & sermone omnium esse coeperit. Nam ex tribus partibus orbis terræ, duæ, Asia atque Africa, ne nomen quidem Augusti Confessionis adhuc audierunt; in Europa, quæ tertia pars est, Græcia, Italia, Hispania,

aut omnino quid sit Augustana Confessio, ignorant; aut eam vt perniciosam & hæreticam doctrinam execrantur. Gallia ac Britannia, partim à Catholicis, partim à Caluinistis habitatur, quorum illi August. Confessionem apertè repudiant; isti solo nomine recipiunt. Quamquam nouam hanc in Confessione Concordiam, Caluinistæ, ne quidem nomine amplectuntur. Solus restat angulus Germaniæ, isque nõ totus in quo sese fama Confessionis dilaret. Nam & in ipsa Germania Zvingliani, & Anabaptistæ inueniuntur, qui Confessionem August. nunquam receperunt. Quid? quod initio nec in parte Germaniæ Confessio August. locum habere potuit. Nam eo ipso anno quo Augustæ nata est, Augustæ quoque extincta quodammodo est. Si quidem à Theologis Catholicis refutata, & ab Imperatore Carolo V. publicè damnata fuit in generali recessu; cui damnationi subscripserunt Electores v. Ecclesiastici Principes xxx. Seculares xxxii. Abbates xxii. Comites & Barones xxxii. Ciuitates liberae & Imperiales xxxix. Cum ipsi confessioni solum subscripserint Elector 1. Principes vi. Ciuitates ii. Quocirca meritò Philippus lib. i. Epist. in Epist. ad Ioan. Obermburgum ita scribit; *Non delector, inquit, recordatione Comitiorum Augustanorum, in quibus tristi ac atroci sententia damnati sumus.* Nec solum Augustæ confessio vix dum nata, extincta fuit, sed etiam in duobus archiuijs ita sepulta, vt per totos annos quadraginta lucem non viderit. Confessio enim Germanica in Cancellaria Moguntina: Latina verò in Bruxellenfi longissimo tempore delituerunt, atq; interim singulis propè annis edebantur, aliæ atque aliæ; quæ cum omnes Confessionis Augustanæ titulum præ se ferrent, tamen & verbis, & sententijs, cum inter se, tum ab illa prima plurimum dissentiebant. Itaq; gloriosum illud encomium Augustanæ Cōfessionis, quod in totum orbem terrarum sparsa, vbiq; percrebuerit, ita interpretandum esse videtur: Confessio Augustana, id est, Confessio, falsum nomen gerens Confessionis August. per totum orbem terrarum, id est, in quodam angulo Septentrionis, vbi que sparsa percrebuit, id est, in aliquot oppidis Germaniæ audiri cœpit.

II. MENDACIUM.

IN eadem præfatione, vltra medium, protestantur aduersarij, in negotio Cœnæ ad nulla alia fundamenta pios homines deducendos esse, quam verborum institutionis Testamenti Domini nostri IESU Christi; licet tam ipsi, quam etiam Lutherus, inuiti pertracti sint ad disputationem de vnione personali duarum in Christo naturarum. At in ipsa Concordia, pag. 571. & iterum pag. 717. in articulo de Cœna Domini, vnà cum Luthero, quatuor alia fundamenta iaciunt. Primū est, quod Christus sit Deus & homo, in vna persona, indiuisus, & inseparabilis. Secundum, quod dextera Dei est vbi que. Tertium, quod verbum Dei sit neque falsum neque fallax. Quartum, quod Deus varios modos habet, nouitque, quibus aliquo in loco esse potest. Mendax igitur est huius præfationis protestatio.

III. MENDACIUM.

PRÆFATIONE Confess. ad Carolum V. pag. 6. ita habetur: *Offerimus in hac religionis causa, nostrorum Concionatorum, & nostram Confessionem; cuiusmodi doctrinam ex scripturis sanctis, & puro verbo*

A *Dei, hætenus illi in nostris terris, Ducatibus, diuisionibus, & vrbibus tradiderunt, ac in Ecclesijs tractauerunt.*

Hoc insigne mendacium esse, vel ex eo cognosci potest, quod Confessio Lutheri, in multis ab Augustana dissentit; cum tamen eodem anno 1530. edita sit, neque credibile videatur, melius Lutheranos, quam ipsum Lutherum, quæ sit Lutherana doctrina, scire potuisse. Artic. 11. Lutheranae Confessionis habet: *Quod Confessio priuata debeat esse libera.* Confessio autem Augustana, in cap. de Confessione, didit, *Apud suos non solere porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis.* Et in cap. de Missa, sic ait: *Nulli admittuntur ad Sacramentum, nisi antea explorati atque auditi.* Item artic. 16. Lutheranae Confessionis, vult *Missam præ omnibus abominationibus, esse abrogandam.* Confessio verò Augustana, in cap. de Missa: *Falsò, inquit, accusantur Ecclesie nostra, quod Missam aboleant; retineatur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.* Ad hæc nec Augustana Confessio à Philippo fabricata, nec Lutherana, quæ Augustanam sine dubio peperit, cum ea doctrina concordat, quam initio Lutherus & Melancthon tradiderunt. Audio Ioannem Cochleum eodem anno 1530. collegisse articulos ex libris Lutheri & Philippi, contra singulos articulos Confessionis Augustanæ; sed eos nondum videre potui. Sed facilè credo illum hoc fecisse, cum ipse quoque id præstare nullo negotio possim, qui tamen multò minus versatus sum in Lutheranorum libris, quam Cochleus fuerit. Ac ne sim nimis prolixus, conferam solum duos, aut tres principales Confessionis articulos, cum Lutheri & Philippi doctrina.

C Articulus primus Confessionis Augustanæ sic habet: *Ecclesie magno consensu apud nos docent, decretum Nicænae Synodi, de vnitæte essentis diuinæ, & de tribus personis, verum & sine vlla dubitatione credendum esse.* Et infra: *Et nomine persone vñtur ea significatione, qua vsi sunt in hac causa scriptores Ecclesiastici, vt significet non partem aut qualitatem in alio, sed quod propriè subsistit.* Et infra: *Damnant omnes hæreses contra hunc articulum exortas, vt Manicheos, V. alētinianos, Arianos, Eunomianos, &c.* Huic art. 1. rectè annectitur tertius, qui est de incarnatione filij Dei, in quo duæ naturæ vnitæ asseruntur in vna persona. Lutherus autem quàm verum crediderit Nicænum decretum de vnitæte essentiæ, satis ostēdit illis verbis, quibus est vsus contra Iacobum Latomum: *Anima mea, inquit, odit hoc verbum dyoteros.* Quod tamen verbum ignorare non poterat in Concilio Nicæno (vt D. Augustinus loquitur lib. 3. cōtra Max. c. 14.) aduersus hæreticos Arianos, veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate, firmatum esse. Neq; verò id Luthero excidit per incogitantiam; Nam rursus id repetit, in libro de Concilijs: *sanctus, inquit, Hieronymus vehemēter perturbatus, lamentabiles litteras scribebat ad Episcopum Romanum Damasum, & cupiebat expungi vocabulum dyoteros.* Vbi scilicet notanda est alia fraus Lutheri, **E** Non enim S. Hieronymus vocabulum *dyoteros*, sed vocabulum *dyoteros*, tacēdum arbitrabatur, propter eius vocis ambiguitatem. Notæ sunt epistolæ duæ S. Hieronymi de hac re ad Damasum, quarum altera ita concluditur: *Obtestor beatitudinem tuam per crucifixum, mundi salutem, per dyoteron Trinitatem, vt mihi Epistolis tuis siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseōn detur auctoritas.*

Deinde, si Luthero probatur doctrina Catholica de vnitæte essentiæ, & Trinitate personarum, cur ex precibus communibus Germanorum, illam precantunculam iustulit, Sancta Trinitas vnus Deus, miserere nobis? Nec nouam esse hanc formam inuo-

cationis, sed ab antiquissimis Patribus, tam Græcis, quàm Latinis, vsurpatam, certum est ex Nazianzeno, qui oratione 2. de pace, ad finem, ait: O Trinitas sancta & longanimis, suscipe etiam istos, &c. Et ex Augustino lib. vlt. cap. vlt. de Trinitate: Domine Deus, vnus, inquit, Deus Trinitas, quæcunque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui: Si qua de meo, & tu ignosce, & tui, Amen.

Porro de incarnatione, quàm rectè Lutherus senserit, ex tribus eius operibus facile poterit intelligi. Nam in concione de Natali Domini, qua primum caput Epistolæ ad Hebræos exponit, dum metuit cum Eutychemate permiscere naturas, audacter cum Nestorio diuidit personas. Dicit enim, *Imperitos quosdam, facere Christum hominem omnipotentem*. At si ille homo Christus non est omnipotens, eadem ratione non est Deus, Nec enim Deus esse potest qui nõ sit omnipotens. Duo igitur erunt Christus Deus & Christus homo, quæ est apertissimè Nestoriana sententia. Contra, verò, in libro de Concilijs & Ecclesia, parte 2. dum vitare cupit Nestorium, apertè incidit in Eutychematem. Sic enim loquitur: *Mihi paulò antè negotium fuit cum Nestorianis, qui pertinacissimè contra me disputabant, quod diuinitas Christi non posset pari*. Et infra: *Oportet dici, hic homo Christo, hæc caro & sanguis condidit calum & terram*. Certè natura diuinitatis & carnis, nomina sunt naturarum non personarum. Ergo si Luthero diuinitas patitur, si caro calum ac terram condidit, quis non videat, à Luthero Christi naturas confundi? ac vt propensionem animi sui in Nestorium, & Eutychematem Lutherus ostenderet, in eodem de Concilijs libro, ita diligenter Nestorium & Eutychematem excusat, vt vtrique zelum bonum, animum syncerum, & fidem rectam tribuat, & solum ex inscitia quadam, & in modo loquendi lapsos dicat; totam verò causam tumultuum & perturbationis illius temporis, in Episcopos Catholicos referat. Et eò vsque tandem progreditur, vt dicat; *Vereri se, ne in extremo iudicio aliqui qui dicuntur heretici, iudices sedeant; & Episcopi, qui illos in Concilijs damnauerunt in æternum pereant*. Tantùm non apertè affirmans, Nestorium, & Eutychematem cum Christo iudices futuros, Sanctos verò, Leonem, & Cyrillum, in æternum perituros. Porro in libro, qui inscribitur, *Confessio Martini Lutheri de Cœna Domini*, non solum reprehendit Zvinglianos, quod passionem Christi soli tribuant humanitati, non etiam Deitati; Sed etiam è contrario ipsam humanitatem in Deitatem euehere videtur, cum ait: *Necesse habes, eam Christi essentiam, qua est cum Deo vna persona, longissimè extra creaturas collocare, ideoque tam longè quàm DEVS ipse, extra creaturas est*. Neque vult Lutherus dicere, Christi humanitatem extra creaturas esse, quantum ad locum, siue spatium, sed quantum ad ordinem & dignitatem; Nam in eodem libro contendit, vbique esse Christi humanitatem. Et in sermone de Sacramento Cœnæ Domini; *Credimus, inquit, quod IESVS Christus sit iuxta humanitatem, super omnes creaturas collocatus, & omnia impleat*. Et infra: *Et habeat omnia in sua manu & sit vbique presens*. Si igitur Christi humanitas, extra ordinem creaturarum est, non creata natura, sed increata essentia est, ac per hoc non amplius humanitas, sed diuinitas dici debet. Rursum: Si Christi humanitas tam longè abest à creaturis, quantum ad excellentiam & dignitatem, quàm longè abest ipse DEVS, DEVS autem infinito intervallo à creaturis omnibus separatur. Igitur Christi humanitas infinitæ dignitatis, & excellentiæ est. Ex quo sequitur, aut duas esse infini-

tas naturas, aut Christi humanitatem in Deitatem esse conuersam, quæ est hæresis Eutychematica. Et fortassis non sine mysterio, nec in Confessione, nec in Apologia, vlla fit mentio, Nestorij, & Eutychematis, qui tamen nominatim damnari debuissent in art. 3. vt damnantur in primo Arius, & Eunomius. Nam verò Philippus Melancthon, in locis anni 39. pag. 9. *Necesse est, inquit, in filio aliquid esse diuinæ naturæ*. Et rursum, pag. 11. *Necesse est in Christo aliquid esse diuinam naturam*. Et in Locis anni 45. fol. 53. de Spiritu sancto loquens; *Testatur, inquit, per Ioëlem DEVS, non mitti creatam agnitionem, sed aliquid essentia DEI*. Necesse est autem personam esse distinctam, quæ est aliquid Dei, & tamen non est Pater. Philippo igitur aut multæ sunt naturæ diuinæ, cum necesse sit in filio aliquam esse diuinam naturam; aut certè multæ sunt partes eiusdem diuinitatis, cum tam in Filio, quàm in Spiritu sancto aliquid sit diuinæ naturæ. Quod quàm benè cohæreat cum art. 1. Confessionis, nemo non videt. Rursum idem Philippus in Locis anni 45. & 58. pag. 40. *Non est, inquit, lacerata aut mortua diuina natura, sed fuit obediens Patri, quiescit, cessit ira aterni Patris*. Quid clarius pro Ariana hæresi dici poterat? Nam si natura diuina Filij, Patri fuit obediens, & iræ illius cessit; distinguitur diuinitas Filij à Patre, & Pater non habet diuinitatem, vel habet aliam. Vbi est igitur vnitatis essentia diuinæ quam prædicat Augustiana Confessio? Ad hæc in iisdem Locis, pag. 42. ita exponit illud, *Glorifica me Pater; Nunc missus subiectus sum cruci, & seruis mee vocationi*. Deinde verò *gloriam mihi restitue, quam ante mundi constitutionem apud te habui, &c.* Certè nõ potest restitui quod non fuit amissum; Amisit igitur Christus gloriam, quam habuit ante mundi constitutionem; non autem amisit eam vt homo, cum ante mundi constitutionem non fuerit homo, amisit igitur vt Deus. Deus igitur mutabilis est Christus, ac per hoc nec Deus verus, nec Deus vnus cum Patre, sed Deus factus & creatus à Patre, vt Ariani docebant. Atq; huc etiam fortasse alludit in iisdem Locis, pag. 45. cum ait: *Tempore passionis non fuisse in Christo gloriam beatitudinis, vt alio tempore*. Omitto illud, quod ibidem pag. 22. tres personas diuinas, tres esse singulares intelligentes. Qui modus loquendi, non satis consentit cum Symbolo Athanasij, quod in hac Concordia, tanquam piuum, vt verè est, recipitur. Vt enim in Symbolo dicitur; Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens, ita sine dubio dici debet, non tres intelligentes, sed vnus intelligens.

Veniamus ad articulos de libero arbitrio, & causa peccati, & videamus, an id semper Lutherus & Philippus docuerint, quod in Confessione nunc docent. Articulus 18. Confessionis, sic habet: *De libero arbitrio docent, quod humana voluntas, habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem iustitiam, & diligendas res rationi subiectas, &c.* Artic. 19. de causa peccati, docet: *Quod tamen si Deus creat & conseruat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet diaboli, & impiorum, qua non adiuuante Deo auertit se à Deo, sicut Christus ait, Cum loquimur mendacium, ex se ipso loquitur.*

Audiamus nunc verba Lutheri ex assert. artic. 36. *Liberum, inquit, arbitrium, est figmentum in rebus, & titulus sine re, quia nulli est in manu sua quippiam cogitare boni vel mali, sed omnia, (vt V. vicies articulus Constantiæ damnatus rectè docet) de necessitate absoluta eueniunt, quod & Poëta voluit, quando dixit; Cæra stant omnia lege. Et Christus Matth. 6. Folium arboris non cadet in terram, sine patre vestro*. Et infra: *Non est dubium*

Satana magistro, in Ecclesiam venisse hoc nomen, Liberrum arbitrium. Ac vt sibi & suis Lutherus præcluderet aditum ad retractationem in eadem assertionem, ita præfatus fuerat: *In cæteris articulis, de Papatu, de Concilijs, de Indulgentijs, alijsque non necessarijs nugis, ferenda est leuitas & stultitia Papa, & suorum: Sed in hoc articulo, qui omnium optimus, & rerum nostrarum summa est, dolendum & splendendum est, miserose sic insanire.* Et in libro quem contra Regem Angliæ scripserat: *Adeo se certum esse de sua doctrina, vt si quis aliter doceret, aut damnet, quæ ipse scripsit de fide, de operibus, de libero arbitrio, &c. is damnet Deum, & oporteret ipsum manere filium inferni.* Atq; his similia Philippus docuit in Locis, anno 21. & 22. editis. Tantùm abest igitur vt verum sit, quod in præfatione Confessionis dicitur; *Hanc ipsam Confessionis doctrinam eam esse, quam hæctenus Lutherani Concionatores tradiderunt, vt potius sit verissimum, in præcipuo articulo & in summa rei defecisse Confessionis auctores à Luthero ad Papam.* Et (si verum sit Lutheri vaticinium) oportere iam eos manere filios inferni; quippe qui Deum in Luthero damnare ausi fuerint. Non ignoro Lutherum in Visitatione Saxonica, & Philippum in Epitome Moralis Philosophiæ, & in Locis editis posterioribus annis, longè aliter docuisse de libero arbitrio & causâ peccati, quàm antea docuerant, cum haberent primitias Spiritus; tamen id neque mendacium excusat, & arguit inconstantiam. Et quia non parum cõducere videtur ad commendationem architecti huius Confessionis, ad memoriã reuocare Philippi egregiam in doctrina constantiam, annotabo breuiter eius sententiã de libero arbitrio, & causâ peccati.

In Locis anni 21. PRIMO, repudiat nomen ipsum, liberi arbitrij, & rationis. *Vsurpata est vox, inquit, liberi arbitrij, à diuinis litteris, à sensu, & iudicio spiritus alienissima: additum est è Platonis Philosophia, vocabulum rationis aequè perniciosum.* At in Locis posterioribus, *Monendi sunt, inquit, rudiores, vt à Phisicis sumant distinctiones, & appellationes partium hominis. In homine est pars cognoscens, & iudicans, quæ vocatur mens, vel intellectus, vel ratio; altera pars appetens, vocatur voluntas. Vocatur autem liberum arbitrium mens & voluntas coniuncta.*

SECUNDO, defendit Vallam, contra Ioan. Ecium: *Valla, inquit, ait Eckius, quod scholarum sententiam de libero arbitrio cõfutant, plura voluisse scire, quàm didicisset scilicet egregie festiuus nugator.* At in Locis posterioribus: *Valla, inquit, & plerique alij non rectè detrahunt voluntati hominis libertatem.* Et in Epitome moralis Philosophiæ: *Stoicas illas, inquit, de Fato, seu Valla absurdas imaginationes, quæ propter diuinam gubernationem, adimunt libertatem voluntati fugiamus.*

TERTIO, reprehendit Philosophiam: *Hoc loco, inquit, prorsus Christiana doctrina à Philosophia, & humana ratione dissentit.* At in Epitome moralis Philosophiæ: *Est, inquit, prudentissimè ab Aristotele addita rationis descriptio.* Et in Locis, cap. de viribus hominis: *Hæc est, inquit, libertas voluntatis, quam Philosophi rectè tribuunt homini.*

QUARTO, tollit omnem libertatem, & contingentiam: *Quandoquidem, inquit, omnia quæ eueniunt, necessariò iuxta diuinam prædestinationem eueniunt, nulla est arbitrij nostri libertas. Quid igitur, inquires, nulla ne est in rebus contingentia? nihil casus? nihil fortuna? omnia necessariò euenire, Scripturæ docent. Et si videatur tibi in rebus humanis esse contingentiam, iudicio rationis hic imperandum est.* At in Locis posterioribus: *Concedendum est, inquit, quod Scripturæ Apostolica*

A *tribuat homini, etiam nunc post lapsum, libertatem aliquam diligendâ ea, quæ sunt subiecta rationi.* Et infra: *Hæc Manichæa imaginatio (quæ videlicet libertatem & contingentiam tollit) horribile mendacium est, & ab hoc errore mentes abducenda sunt, & docenda agere aliquid liberum arbitrium.*

QVINTO, in commentarijs ad cap. 8. Epistolæ ad Rom. docet, Deum peccatorum causam esse. *Sicut, inquit, fatemur, proprium Dei opus fuisse, Pauli vocationem, ita fatemur opera Dei propria esse; siue quæ media vocantur, vt comedere, bibere, &c. Sine quæ mala sunt, vt Davidis adulterium, Manly feneritatem. Constat enim ex c. 1. ad Roman. Deum omnia facere, non permissiue sed potenter.* Et infra: *Ergo non est, cur frigidum glossema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere.* At in Locis de causâ peccati: *Est, inquit, hæc vera, & pia sententia, vtraque manu, & verius, toto pectore tenenda, Deum non esse causam peccati: nec velle peccatum.* Et infra: *Nec figura illa verborum in sermone Hebraico pugnat cum hac sententia; Indurabo cor Pharaonis; & similes. Certum est enim Hebraica phrasi significare permissionem, non efficacem voluntatem.*

C Ex his satis constare puto, & quàm grauem & constantem auctorem habuerit illa Confessio tantoperè celebrata, & quàm verum sit, quod in eius præfatione asseritur, in hac Confessione eam doctrinam contineri, quam vsque ad illud tempus ex diuinis litteris Lutherani tradiderant.

IV. MENDACIUM.

I N Confessione Augustana, art. 12. pag. 15. Concordiæ, sic habetur: *Reijciuntur & isti, qui non docent, remissionem peccatorum per fidem contingere; Sed docent, remissionem peccatorum contingere propter nostram dilectionem & opera.* Hæc verba etsi de industria obscure proposita esse videntur, tamen sine dubio hunc faciunt sensum, vt reijciendos esse significant illos, qui docent homines iustificari à peccatis sine fide, per solam dilectionem, & opera. Nec dubitari potest, quin his verbis notentur Catholici omnes, & præsertim Theologi Scholastici; Et si quod dubium esse potuisset, iam est sublatum per Apologiam vbi vsque ad nauseam repetitur, & inculcatur hoc mendacium, quod Scholastici doceat, iustificationem non contingere ex fide, sed ex operibus, hoc est, ex operibus sine fide. Quoniam enim versantur ipsi in vno extremo, cum docent, iustificari homines ex fide sine operibus; cupiunt nos in altero extremo collocare, quasi doceamus, iustificari homines ex operibus sine fide. At non est ista, nec vnquam fuit, doctrina Ecclesiæ Catholicæ, nec etiam Scholasticorum Theologorum. Semper enim docuimus & docemus, iustificari homines ex fide & dilectione ac operibus bonis; ita vt ad præparationem ac dispositionem ad iustificationem, requirantur actus, fidei, spei, & dilectionis, quos ipsos tamen non habemus, nisi Dei gratia nos præueniente, excitante, & adiuuante: Ipsa verò formalis iustificatio consistat in remissione vera omnium peccatorum, & infusione habituum fidei, spei, & charitatis, quos propter Christi meritum, Deus in corda nostra gratis diffundit. Denique actualis iustitia sit legis diuinæ obedientia & obseruatio, ad quam non ex nobis idonei sumus, sed ex spiritu gratiæ, id est, fidei, spei, & charitatis, nobis à Deo per Christum, donato. Ita docet Concil. Trid. sess. 6. c. 6. Dispositio, inquit, ad ipsam iustitiam, dum excitati di-

„ uina gratia, & adiuti, fidem ex auditu cōcipientes,
 „ liberè mouentur in Deum, &c. Et c. 7. Quāquam
 „ nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis
 „ Domini nostri Iesu Christi communicantur, id tamen
 „ in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem
 „ sanctissimæ passionis merito, per Spiritū sanctum
 „ charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui
 „ iustificantur; atq; ipsis inhæret. Vnde in ipsa iusti-
 „ ficatione cum remissione peccatorum, hæc omnia
 „ simul infusa accipit homo, per Iesum Christum,
 „ cui inferitur, fidem, spem, & charitatem. Et c. 10.
 Per obseruationem mandatorum Dei & Ecclesiæ in
 ipsa iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante
 fide bonis operibus, crescut, &c. Vides igitur fidem
 nunquam excludi, sed contrā potius semper requiri,
 siue de ipsa iustificatione agatur, siue de ijs, quæ il-
 lam aut præcedunt, aut etiam consequuntur. Ac ne
 dicant nouam hanc esse doctrinam, & nos nunc de-
 mum ab ipsis excitatos sapere cœpisse, vt aliquoties
 Philippus iactat in Apologia, addamus etiam testi-
 monium principis Scholasticorū, quod fides ad iusti-
 ficationem requiratur. S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 4.
 Ad iustificationem impij requiritur motus mentis,
 quo conuertitur in Deum. Prima autem conuersio
 in Deum, fit per fidem, iuxta illud Heb. 11. Acceden-
 tem ad Deum, oportet credere. Et ideo, motus fidei
 requiritur ad iustificationem impij.

V. MENDACIUM.

PAG. 16. in art. 13. Confess. habentur hæc verba:
*Damnant igitur illos, qui docent, quod Sacramenta
 ex opere operato iustificent, nec docent fidem requiri in usu
 Sacramentorum, quæ credat remitti peccata.* Hoc etiam
 loco Theologi Scholastici notantur, quasi doceant,
 Sacramenta etiam sine fide prodesse. Sed apertum
 mendacium est, ad quod refellendum vnus S. Tho-
 mæ testimonium sufficiet, qui 3. parte, q. 68. art. 8.
 „ Recta fides, inquit, ex necessitate requiritur ad Ba-
 „ ptismum, quia sicut dicitur Ro. 3. Iustitia Dei est
 „ per fidem Iesu Christi. Et infra: Ad primum ergo
 „ dicendum, quod Dominus loquitur ibi de Baptis-
 „ mo, secundum quod perducit homines ad salutem,
 „ per gratiam iustificantem, quod quidem sine re-
 „ cta fide esse non potest, & ideo signanter dicit:
 „ Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.

VI. MENDACIUM.

PAG. 17. In art. 16. Confess. ita habetur: *Damnans
 & illos, qui Evangelicam perfectionem non collocant
 in timore Dei, & fide: sed in deserendis ciuilibus officijs.*
 Mendacium est manifestum contra Cathol. profes-
 sores ordinum religiosorum, quasi existiment per-
 fectionem propriè consistere in deserendis ciuilibus
 officijs, coniugio, militia, magistratibus, & simili-
 bus. At neq; veteres, neq; recentiores Monachi, vn-
 quam hoc docuerunt. Ioan. Cassianus Collat. 1. c. 7.
 Ieiunia, vigilæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac
 priuatio omnium facultatum, nō perfectio, sed per-
 fectionis instrumenta sunt. B. Thomas ex Scholasti-
 cis, 2. 2. qu. 184. art. 3. Per se inquit, & essentialiter
 consistit perfectio Christianæ vitæ in charitate, prin-
 cipaliter quidem secundum dilectionem Dei, secun-
 dario autem secundum dilectionem proximi. Et in-
 fra: Secundario, & instrumentaliter consistit perfe-
 ctio in consilijs, quæ ordinantur ad remouendum
 impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati

A non contrariantur; sicut est matrimonium, occu-
 patio negotiorum sæcularium, & alia huiusmodi.
 Quod autem status perfectior sit eorum, qui defe-
 runt omnia propter Christum, nec implicantur ne-
 gotijs sæcularibus, quàm aliorum, qui hoc non faci-
 unt; & quod hic perfectior status, non imperetur,
 sed consulatur, satis apertè colligitur ex verbis Do-
 mini Mat. 19. vbi postquam dixerat; Si vis ad vitam
 ingredi, serua mandata, subiunxit; Si vis perfectus
 esse, vade, vende omnia quæ habes, &c. Nec vsquam
 legimus; Si vis perfectus esse, vxorem ducito, cape-
 se Rempub. &c. Hinc D. Augustinus epist. 89. q. 4.
 Viderit, inquit, ille iuuenis, quemadmodum illa leg-
 is mandata seruauerit. Veruntamen Magister bo-
 nus, mandata legis ab ista excellentiore perfectione
 distinxit. Ibi enim dixit; Si vis venire ad vitam, serua
 mandata. Hic autem; Si vis perfectus esse, vade, ven-
 de omnia, &c. Euseb. lib. 1. de Demonstrat. Euangel.
 c. 8. declarans communem doctrinam Ecclesiæ Catho-
 licæ, ex diuinis litteris deriuatam: Quocirca, in-
 quit, in Ecclesia Dei, duo modi viuendi instituti sunt.
 Alter quidem naturam nostram, & communem homi-
 num vitæ rationem excedens; non nuptias, non
 sobolem, non substantiam, non opum facultatem
 requirens, & soli diuino cultui, ex immenso rerum
 cœlestium amore, addictus. Et talis quidem existit
 in Christianismo vitæ perfectæ modus. Alter verò
 remissior atq; humanior; hic & modesto coniugio,
 & sobolis procreatione implicatur, & rei familiaris
 curam assumit, & iustè militantibus quæ sint agenda
 describit, agros quoque & mercaturam, adiuncta
 religione, non negligit; Et his quidem secundus pie-
 tatis attributus est gradus.

Hoc idem ex pluribus Scripturæ, & Patrum testi-
 monijs probare possemus, si refellere errores Con-
 fessionis, & non solum mendacia indicare, propo-
 situm nobis esset.

VII. MENDACIUM.

PAG. 18. in artic. 20. Confess. *Falsò accusantur no-
 strî, quod bona opera prohibeant.*

D Mendacium hoc esse non dubitabit, quicumq; ali-
 quid Scriptorum Lutheri perlegerit. Certè in serm.
 de piscatione Petri sic legimus: *Quantò sceleratior es,
 tanto citius Deum gratiam infundit.* Ibidem: *Debemus
 cum solo Isaac venire, id est, cum fide; seruos, & asinos,
 hoc est, opera, deorsum dimittere oportet.* Item in serm.
 Sic Deus dilexit mundum: *Ego dico tibi, quia angus-
 ta est via. Oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire.*
*Caterum, qui operibus onerati sunt (sicut conchilibus
 onustos videmus Iacobi peregrinos) non poterunt pe-
 netrare.* Et infra: *Si veneris cum magnis saccis operum
 plenis, deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.*
 Porro ex his fontibus manarūt illa præclara dogma-
 ta, quæ Lutheri discipuli in Colloquio Altēburgensi
 stabilire conati sunt. *Opera bona legis, & noua obedien-
 tia, non ad regnum Christi, sed ad mundū pertinent. Ad
 Satanam spectant Christiani cum omnib. bonis operibus.*
*Peccari verò oportet, ut in fide sine bonis operibus omni-
 bus, ad finem vsq; constātes, perseueremus.* Adeo necessa-
 ria illa non sunt, vt etiam ad salutem in cōmodent, sintq;
 pernicioſa. Deinde Catholici non tam Lutheranos
 accusant, quod prohibeant opera bona, quàm quod
 ea contemnunt, & cum Eunomio antiquo hærefiar-
 cha, immò etiam cum Simone Mago hæreticorum
 omnium principe, nō necessaria ad salutem esse, do-
 ceant. Ac de Eunomio quidem testis est Augustinus
 in lib. de hæref. c. 54. de Simone Irenæus, li. 1. c. 20.

de Luthero, liber ipsius de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo: Liber de libertate Christiana; Sermo de Moyse; Commentarij in epist. ad Galatas.

VIII. MENDACIVM.

PAG. 19. in artic. 20. Confess. *Iubent* (Catholici Doctores) *mereri remissionem peccatorum operibus.* Si de merito operum illorum, quæ sunt solis naturæ viribus, sermo sit: de quo merito articulum intelligendum esse, consequentia verba declarant: insigne est mendacium Philippi. Non enim id habet Catholica doctrina, vt operibus illis, quæ sunt sine fide, & auxilio Dei gratuito mereri possint homines remissionem peccatorum; & contra hæc operum merita defendit S. Augustinus gratiam & iusticiam fidei: necnon etiam S. Prosper in libris de vocatione gentium, quos libros imperitè Philippus tribuit Ambrosio, cum in ijs libris nominatim refellatur Pelagiani, qui post Ambrosij obitum orti sunt. Si verò de illis operibus agatur, quæ ex fide & gratia Dei proficiuntur, fatemur quidem nos illis operibus aliquo modo mereri remissionem peccatorum. Sed idem fatentur Prophetæ, Euangelistæ, Patres; Ezech. 18. Cum auerterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam viuificabit. Dan. 4. Peccata tua elemosynis redime. Ionæ 3. Vidit Deus opera eorum, & miserus est eis. Lucæ 11. Date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. Lucæ 7. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Ambros. lib. 10. in Lucam. Lachrymæ veniam non postulant, sed merentur. Et infra: Et tu si veniam vis mereri, dilue culpam tuam lachrymis, &c. Hieronymus l. 2. contra Pelagianos: *Qui peccata simpliciter confitentur, merentur humilitate clemenciam Saluatoris.* „ Augustinus epist. 105. *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat;* „ neque enim nullum est meritum fidei: qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus merito fidelis humiliatus, quoniam qui se humiliat exaltabitur. Restat igitur, vt ipsam fidem vnde omnis iustitia sumit initium, non humano, quo isti extolluntur, tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniam inde incipiunt bona quæcunque sunt merita, sed gratuitum donum Dei esse fateamur, si gratiam veram, id est, sine meritis, cogitamus. Et epist. 106. Si quis dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, immò gratissimè confitemur. Gregorius in lib. 1. Reg. lib. 3. cap. 4. Dum Ninivitarum, veluti pro difficili reconciliatione, graui pœnitentia se deiiciunt omnipotentis Dei misericordiam facile meruerunt. Sanctus etiam Thomas, ex Scholasticis, cum prædictis Patribus docet ijs operibus, quæ fiunt ex fide, & auxilio Dei, mereri nos aliquo modo iustificationem à peccatis, 2. Sentent. dist. 27. q. 4. in resp. ad quartum. Quod tamen constanter negat de illis operibus, quæ fiunt solis naturæ viribus. 1. 2. quæst. cent. 9. art. 6. & q. 114. art. 5. Huc accedit, quod istis etiam operibus, quæ fiunt ex fide, & auxilio Dei, non tale tribuimus meritum, vt ei respondeat ex iustitia merces; sed meritum solum impetrationis, vt Augustinus loquitur, quod Scholasticis meritum de congruo, non de condigno nominare solent. Neque in hoc vlla est inter Catholicos dissensio. Et Concil. Trid. sess. 6. cap. 8. de hoc genere meriti apertè pronunciat, ideò gratis iustificari homines, quia nec fides, nec opera, quæ iustificationem præcedunt, ipsam merentur. Sed Para-

Adoxum videtur aduersarijs, quod homo operetur ex fide, & nondum sit iustificatus à peccato. cum apud ipsos ita fides sola iustificet, vt separari nequeat fides à iustificatione. At non illis paradoxum videtur, qui ex fide orantes dicunt; Dimitte nobis debita nostra, Matth. 6. Nec illi paradoxum hoc videbatur, qui ex fide orabat; Deus propitius esto mihi peccatori, Luc. 18. Nec denique Augustino paradoxum hoc erat, cum scriberet in Epist. 105. Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat.

IX. MENDACIVM.

Et quidem multiplex.

PAG. 18. & 19. in eodem art. 20. multa simul conglomerantur mendacia, vt, *Quod nostri concionatores olim parum docebant de operibus, quæ Deo placent; quod tantum urgerent puerilia, & non necessaria opera; quod nunc à Lutheranis admoniti, hæc dediscant; quod iam incipiant fidei mentionem facere: quod doctrina fidei diu iacuerit ignota.* Scilicet, non legerat Philippus Sermones S. Bernardi, Petri Damiani, Innocentij III. Thomæ Aquinatis, Vincentij, Bernardini, Laurentij, Iustiniani, & aliorum innumerabilium, in quibus de Symbolo, de Decalogo, de oratione Dominica, de omnibus vitijs omnibusque virtutibus grauissimæ disputationes continentur. Sed facile est dicere, & non probare.

X. MENDACIVM.

PAG. 22. in art. 21. Confess. *Hæc ferè summa est doctrina apud nos, in qua cerni potest nihil inesse, quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex Scriptoribus nota est.* Ad hoc mendacium conuincendum, nõ erit opus vt extra art. istum 21. egrediamur. Hic enim asserunt, non esse à Sanctis auxilium petendum, eò quod vnus sit intercessor Christus. In quo quidem articulo manifestè dissentiunt à Scripturis, ab Ecclesia Catholica, & ab Ecclesia Romana. Nam etsi vnus est mediator Dei & hominũ, homo Christus Iesus; & ideò vnus mediator, quia dedit semetipsum redemptionem pro multis, 1. Tim. 2. Nec vllus Catholicorũ docuit vnquam Sanctos esse mediatores per modum redemptionis: tam enũ esse tantum intercessorem, vnum aduocatum, vnum qui interpellat pro nobis, immò etiam vnũ tantum mediatorem per modum supplicationis, non modò Scriptura non dicit, sed etiam ita dicentibus apertissimè contradicit, Iob. 5. *Voca si quis est, qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere, vbi Angeli fiunt intercessores hominum, teste August. in annotat. in Iob. non igitur solus est intercessor Christus.* Deuter. 5. *Ego, inquit Moyses, sequester fui, & medius inter Deum, & vos, in illa die. 1. Reg. 7. dicunt filij Israël ad Samuëlem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum.* Iob. vlt. *Itè ad seruum meum, ille orabit pro vobis: suscipiam faciem eius.* Rom. 15. *obsecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum.* Idem repetit 2. Cor. 1. Coloss. 4. Ephes. 6. Heb. 13. *Quomodo igitur vnus est tantum intercessor, cum & Iob, & Moyses, & Samuël, & tot Romani, & tot Corinthij, tot Colossenses, tot Ephesij, tot Hebræi adhibeantur intercessores? At, inquit, de mortuis agimus, non de viuentibus. Sed si ideò mortui inuocadi non sunt*

nec esse possunt intercessores, ne Christo gloria singularis intercessionis detrahatur, eadem de causa nec viuentes inuocandi erunt, nec esse poterunt intercessores. Deinde si viuētes in terris inuocari possunt cur non magis viuentes in cœlis? An fortassis idē, quia non valeant, aut non velint illi pro nobis orare, aut certē nesciat quid petamus? Sed nec eorum felicitas patitur, vt non valeant; nec charitas finit vt non velint, nec possunt ignorare preces ad se porrectas, cū non ignorent pœnitentiam peccatorum. Gaudium enim est in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. Iam verò Concilium Calcedonense, Concilium Ecclesiæ Catholice fuisse, & Concilium Orthodoxum, generale, plenissimum, aduersarij non negant. Concilium autem istud Act. 11. ita clamat; Flavianus post mortem viuūt, Martyr pro nobis oret. Eusebius Cæsariensis Catholice Ecclesiæ communem doctrinam tradens, lib. 13. Præparat. Euangelicæ, c. 7. Hæc nos, inquit, quotidie factitamus, qui veræ pietatis milites, vt Dei amicos honorantes, ad monimentum quoque illorum accedimus, votaque ipsis facimus, tanquam viris sanctis, quorum intercessione ad Deum non parum iuari profitemur. S. Basilius ad Catholicam Ecclesiam verba faciebat, cū diceret, oratione in 40. Martyres; Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat, qui rursum lætatur, hos oret; ille, vt à malis liberetur; iste, vt duret in rebus lætis. S. Ambrosius, in libro de Viduis, Catholicas viduas instituebat, cū ita scriberet: Obsecrandi sunt Angeli, qui nobis ad præsidium dati sunt, Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vindicare; possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiam si quæ habuerunt peccata, lauerunt. Isti enim sunt Dei Martyres, nostri præfules, speculatores vitæ, actuumque nostrorum. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cū vincerent cognouerunt. S. Augustinus, tract. 84. in Ioannem, tribus penè verbis tria aduersariorum dogmata conuellit, de Sacrificio altaris, de Oratione pro defunctis, de inuocatione Sanctorum: Idē quippe, inquit, ad ipsam mensam, non sic eos (Martyres) commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt. Vt etiam pro eis oremus, sed magis, vt ipsi pro nobis orent. Denique Theodosius Imperator, Orthodoxus & pius erat, vt etiam aduersarij confitentur; & tamen de eo sic scribit Rufinus, lib. 2. histor. cap. 33. Circumibat cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat, cilicio prostratus & auxilia sibi fida Sanctorum intercessione poscebat. Et de eodem Chrysostomus, homil. 66. ad populum Antiochen. Nam & ipse, qui purpuram indutus est, accedit, illa complexurus sepulchra, & fastu deposito, stat sanctis supplicaturus, vt pro se apud Deum intercedant, & scenarum fabrum, & piscatores, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedebat. Viderint ergo qui negant Sanctos esse orandos, an ab Ecclesia Catholica non dissentiant.

Quod autem ab Ecclesia Romana, quatenus ex antiquis Scriptoribus nota est, pariter dissentiant, ex Leone, & Prudentio, vt cæteros omittamus, notissimum est. Leo siquidē, qui Episcopus Romanæ Ecclesiæ ante mille & centum annos fuit, & propter sanctitatis, & sapientiæ, atque etiam eloquentiæ excellentiam, Magnus dici meruit, Romanam Eccle-

fiam ita instituebat, Serm. 5. de Epiphania: Confirmate amicitias cum sanctis Angelis, & Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociis, mini. Horum diuitias concupiscite, & per bonam æmulationem ipsorum ambite suffragia. Et Serm. 1. de natali SS. Petri & Pauli. Sicut, inquit, & nos experti sumus, & nostri probauere maiores, credimus atque confidimus, inter omnes labores istius vitæ, ad obtinendam misericordiam Dei, semper nos specialium patronorum orationibus adiuuandos. Prudentius in hymno de S. Laurentio, de Romana Ecclesia loquens, ita cecinit.

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè,
Et tristis haud vllus redit,
En præsto semper adsies,
Tuosque alumnos vrbicos.
Lactante complexus sinu,
Paterno amore nutrias.

Quale igitur & quàm impudens mendacium est huius Confessionis, quæ in eo ipso articulo affirmat, in nulla parte doctrinæ dissentire se à Scripturis, vel Ecclesia Catholica, vel Ecclesia Romana, in quo articulo Sanctorum inuocationem oppugnat, quam & Scripturæ, & Ecclesia Catholica, vel Ecclesia Romana apertissimè docuerunt. Neque verò hoc vnum est, in quo discrepat Confessio Augustana, à Confessione Catholica & Romana Ecclesiæ. Nam nec de ipsa Ecclesia, nec de peccato Originis, nec de Iustificatione, nec de Sacrificio, nec de Sacramento Eucharistiæ, nec de alijs Sacramentis consensus est. Sed vnum sufficiebat, ad mendacium detegendum.

XI. MENDACIVM.

PAG. 22. in art. 21. Confess. Apud nos, inquit, magna ex parte veteres ritus diligenter obseruantur. Falsa enim calumnia est, quod omnes carimonia, omnia vetera instituta, in Ecclesijs nostris aboleantur. Quale sit hoc mendacium nullo negotio intelliget, qui conferre voluerit cum præsentis statu Ecclesiarum Protestantium, ea quæ de ritibus Ecclesiæ scripta reliquerunt Tertullianus, Basilius, Epiphanius, Augustinus, alijque veteres Scriptores. Certè Tertullianus in libro de corona militis, inter Ecclesiasticas carimonia numerat, ante Baptismum renunciare diabolo, & pompis eius, ter mergi in sacro fonte, oblationes anniuersarias pro defunctis facere, ad omnem progressum frontem crucis signaculo terere. Basilius libro de Spiritu sancto ad Amphiloichium, cap. 27. inter Ecclesiæ ritus ponit, orare ad Orientem, cruce signare, inuocationis verba dum ostenditur Eucharistia, benedictionem aquæ baptismatis, benedictionem olei vnctionis, benedictionem eius qui baptizatur, trinam immersionem, &c. Epiphanius in compendiarie doctrina Ecclesiæ, primo loco ponit virginitatis professionem, deinde etiam viduitatis, tum solitudinem Anachoretarum, ieiunia 4. & 6. feriæ, ieiunium quadragesimæ, arctiorem abstinentiam in sacra hebdomada passionis Dominicæ, memoriam defunctorum in precibus, nocturnas & matutinas Psalmorum, & Hymnorum celebrationes, varia Monachorum instituta, quorum alij à carnibus abstinent, alij etiam ab ouis, alij etiam à piscibus, &c. Denique August. meminit consecrationis aquæ per signum crucis, libro 6. contra Iulianum, cap. 8. Exorcismi & esufflationis, lib. de gratia Christi, cap. 40. Vnctionis, qua vitmur

in Baptismo, lib. 2. quæst. Euang. c. 40. Item Chrifti-
 matis, quo inungimur post Baptismū lib. 15. de Trin-
 nit. cap. 26. Signo crucis, quo benedicuntur Chrifti-
 & quo signamur in fronte, dum Sacramentū Con-
 firmationis accipimus. In Psalm. 141. & tract. 118. in
 Ioan. Aquæ miscendæ vino in sacro calice, lib. 4. do-
 ctin. Chrift. cap. 21. Ieiunij 4. & 6. feriæ, epist. 86. ad
 Cafulanum, Ieiunij quadragesimalis, in Pl. 110. De-
 lectus ciborum in diebus ieiuniorum, lib. 3. contra
 Faustum, c. 5. Voti continentie etiam post coniugiū
 epist. 45. ad Armentarium. Voti virginittatis, lib. de
 sancta virginittate, cap. 29. Voti paupertatis, lib. 17.
 de Ciuit. Dei, cap. 4. Monachorum, & Anachoretarum,
 lib. de moribus Ecclesiæ, cap. 31. Voti Mona-
 chorum, in Psal. 75. & 99. Peregrinationem ad loca
 sancta, epist. 137. ad clerum & populum suum. Por-
 rō hæc & similia, quæ in veteri Ecclesia in vsu erant,
 & nunc etiam in Ecclesia Catholica locum suum re-
 tinent, à Lutheranis non modò non seruantur, sed
 etiam irridentur, & tamen in Confessione dicere au-
 dent, veteres ritus à se diligenter seruari, & falsam
 esse calumniam, quod omnium veterum instituta
 atque omnes fermè cærimonias aboleuerint.

XII. MENDACIVM.

PAG. 22. in præfatione de abufibus mutatis: *Cum
 Ecclesia, inquit, apud nos de nullo articulo fidei
 dissentiat ab Ecclesia Catholica, tantum paucos quosdā
 abufus omittant, &c.* Hæc verba mendacij arguuntur
 ab vltima parte huius Concordiæ, vbi ea de Chrifto
 docent, quæ cum Symbolo Apostolico, Nicæno, &
 Athanasij, apertè pugnant, vt suprā iam ostendimus.
 Illud autem non est prætereundum, quod cum di-
 cunt, se ab Ecclesia Catholica non dissentire, nisi
 propter paucos eosque nouos abufus; si per Eccle-
 siam Catholicam intelligunt eam, quæ nunc patet
 Rom. Pontifici, fatentur se extra Catholicam esse.
 Et sanè viderint ipsi, an propter paucos abufus ab
 Ecclesia Catholica separari licuerit. Si verò per Ca-
 tholicam intelligunt antiquam aliquam Ecclesiam,
 mentiuntur, cum dicunt, hos abufus esse nouos; fue-
 runt enim in antiqua Ecclesia si illa est ea Catholica,
 à qua non dissentiant, nisi ratione abufuum.

XIII. MENDACIVM.

PAG. 23. in artic. de coniugio sacerdotū: *In Ger-
 mania, inquit, primum ante annos 400. sacerdo-
 tes vi coacti sunt, ad cœlibatū.* Quod idem repetit Phi-
 lippus in Apolog. At extat Concil. Moguntinum,
 celebratum in Germania tempore Arnulphi Impe-
 ratoris, ante annos 600. cuius decimus canon statuit
 vt nulla penitus mulier, ne soror quidem aut mater,
 cum Ecclesiasticis habitare permittatur. Extat Cō-
 cilium Vvortatiense, in Germania ante annos 700.
 celebratum, cuius nonus canon ita habet; Placuit,
 vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi ab-
 stineant se ab vxoribus, & non generent filios; quod
 si hoc decretum violauerint, ab honore clericatus
 pellantur. Extat Concilium Aquisgranense, tempore
 Ludouici Pij celebratū, anno Domini 816. id est,
 annis 714. ante Confessionem Augustanam, in cuius
 Cōcilij Can. 6. indicitur Subdiaconis perpetua con-
 tinentia; & quod de Subdiaconis dicitur, sine dubio
 de altioribus gradibus intelligitur. Extat denique
 Epistola Zachariæ Romani Pontificis, ad Bonificiū
 Episcopum & Apostolum Germanorum scripta an-

A te annos 800. vbi sic legimus: A die suscepti sacer-
 dotij, etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi
 sunt. Cuius legis meminerunt etiam Magdeburgen-
 ses, Cent. 8. cap. 10. colum. 704. Mendacium igitur
 Confessionis tot testibus refutatur, quot Episcopi in
 tribus suprā citatis Concilijs confederunt, addito
 etiam Romani Pontificis testimonio.

XIV. MENDACIVM.

PAG. 24. in eodem artic. de coniugio Sacerdo-
 tum: *Et res, inquit, gesta est tam inciuiliter, vt
 non solum in posterum coniugia prohiberentur, sed etiam
 presentia, contra omnia iura diuina & humana, contra
 ipsos etiam canones factos non solum à Pontificibus, sed
 à laudatissimis Synodis distraherentur.* Et hoc nume-
 rari potest inter illustria mendacia Confessionis.
 Duæ sunt enim quæstiones de coniugio sacerdotum;
 Vna, an liceat post sacros ordines susceptos
 vxorem ducere; Altera, an liceat ei, qui duxit vxorem
 ante sacram ordinationem, simul & sacerdo-
 tio & coniugio operam dare. Ac de prima quidem
 quæstione Lutherani omnes, & verbis & factis res-
 pondent, licere. Sed hoc, ex sententia veterum cano-
 num, quos vel Concilia, vel Pontifices ediderunt,
 velle defendere, nimis aperta impudentia est. Nam
 etiam Græca Ecclesia, quæ tamen in hac parte semper
 liberalior fuit, & damnat, & omni tempore dam-
 nauit coniugia post ordinationem. Extat Concilium
 Neocæsariense, ante annos 1200. celebratum.
 In cuius primo canone sic legimus: Presbyter si
 vxorem duxerit, ordine suo moueatur. Et Synodus
 Tralliana, Can. 6. prohibet, ne Episcopi, Pres-
 byteri, Diaconi, Subdiaconi, post ordines susce-
 ptos vxorem ducere præsumāt. Quam eandem pro-
 hibitionem legimus in Synodo Romana sub Syl-
 uestro, Can. 8. In Concilio 2. Toletano, cap. 1. in
 Canonibus Apostolorum, Can. 27. in Decreto Calixti
 I. apud Gratianum, dist. 27. Can. Presbyteris.
 In epist. 82. Leonis I. ad Anastasium, Thessalonicæ
 Episcopum, cap. 4. Et in Epistolis Gregorij I. lib. 1.
 epist. 42. Nec vlla fuit vnquam de hac re in Ecclesia
 Catholica dissensio. Adde, quod hoc ipsum affirmat
 Paphnutius & Vdalricus, quos aduersarij pro sua
 causa oportune & importune adducere solent. Scri-
 bunt enim Socrates lib. 1. ca. 8. & Sozomenus lib. 2.
 cap. 22. Paphnutium in Concilio Nicæno, dum sen-
 tentiam suam de coniugio clericorum explicaret,
 inter alia dixisse, oportere iuxta veteres canones, Ec-
 clesiasticis prohibere, vt post sacram ordinationem
 vxores ducant. Vdalricus quoque in epistola ad Ni-
 colaum, quam referunt Magdeburgenfes, & sæpius
 inculcant, Cent. 6. cap. 7. col. 388. Et c. 10. col. 686.
 Et Cent. 9. ca. 10. col. 540. apertè docent, non licere
 Presbyteris & Monachis vxores ducere, & si duxe-
 rint, debere separari. Et quanquam nec historiam
 Paphnutij, nec epistolam Vdalrici omnino nos proba-
 mus: tamen ostendere volui, in quæstione de no-
 uis nuptijs sacerdotum, non solum à nostris, sed
 etiam à suis patronis aduersarios refutari.

Iam verò de altera quæstione; An videlicet liceat
 sacerdotibus liberis operā dare; Philippus affirmat;
 & quidē ita, vt subtrahere sacerdotibus coniugium,
 esse contendat contra veteres Canones, quos tam
 Pontifices, quàm laudatissimæ Synodi cōdiderunt.
 Mirum autem est, cur nec in Confessione, nec in A-
 pologia, vllū talem protulerit canonem. Nos enim
 e contrario, omnes Ecclesiarum canones proferre
 possumus, quæ omnem vsum vxorum sacratis ho-

minibus interdicit. Ex quibus Philippi mendacium evidentissimè confutatur.

Ac primùm ex Orientali Ecclesia, proferimus Nicænum Concilium primum, in cuius Concilij 3. canone prohibetur Episcopis, Presbyteris, Diaconis, ne ullam domi mulierem habeant, præter matrem, aut sororem, aut amitam. Vbi nulla vxoris fit mentio, quæ tamen primò loco nominari debuit, si eius cohabitatio sacerdotibus licita esset. Ac eam mentem Nicæni Concilij fuisse, tribus testibus fide dignissimis comprobabimus.

Basiliius enim in epistola ad Georgium, ex huius canonis sententia, prædictum Georgium ab vxore separari præcipit. Epiphanius in hæc. 59. quæ est Catharorum, ita scribit: Sed & adhuc viuentem, & liberos gignentē, vnus vxoris virum, non suscipit; sed eum qui se ab vna continuit, aut in viduitate vixit Diaconum, & Presbyterum, & Episcopum, & Hypodiaconum, maximè vbi synceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi in quibusdam locis aducliberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos, at hoc non est iuxta Canones; sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit. Hieronymus in lib. contra Vigilantium; Quid facient, inquit, Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti, & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?

Ex Ecclesia Africana, testem habemus Conciliū II. Carthaginense, can. 2. vbi sic legimus: Omnibus placet, vt Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitia custodes, etiam se ab vxoribus abstineant, vt quòd Apostoli docuerunt, & ipsa seruaui antiquitas, nos quoque custodiamus. Idem habet Concil. Carthag. V. can. 3. & Concil. Africanum, Can. 77. His subscribit Augustin. qui in libro 2. de adulterinis coniugijs, cap. 20. Solemus, inquit, eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eam sarcinam subeundam capiuntur inuiti, eamque susceptam vsq; ad debitum finem, Domino adiuuante, producant.

Ex Ecclesia Hispanica testem habemus Concilium Elibertinum, antiquissimum, Can. 33. Toletan. II. Can. 1. Toletan. IV. Can. 26. Tolet. VIII. Can. 6. quæ etiam Subdiaconis vsum vxorum prohibent.

Ex Ecclesia Gallicana testem habemus Concil. Arelatense II. ante annos 1200. celebratum, in cuius II. canone cauetur, Ne vllus coniugatus ad sacerdotium assumatur nisi continentiam ab vxore promiserit. Item Aurelianense III. Can. 2. Vt nullus, inquit, clericorum à Subdiacono & supra, propria, si fortè iam habeat, misceatur vxori. Quod idem præcipiunt Agathense Concilium, Can. 92. Turonense I. Can. 1. & 2. Et Turonense II. Can. 20.

Ex Ecclesia Germanica, iam supra citauius tria antiqua Concilia, Aquisgranense, Vormatiense, Moguntinum.

Ex Ecclesia Anglicana testem habemus Bedam, qui lib. 3. de tabernaculo, c. 9. Nemo, inquit, potest vel sacerdotium suscipere, vel ad altaris ministerium consecrari, nisi aut virgo permanserit, aut contracta cum vxore matrimonij fœdera soluerit.

Ex Ecclesia deniq; Italica, testem habemus D. Ambrosium, qui lib. 1. de Officijs, cap. vlt. Innoctensum, inquit, exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllò coniugali coitu violandum cognoscitis. Item Siricius Papan in epist. ad Himericum, ca. 7. Innocentium I. in epist. ad Victorium, cap. 9. & ad

A Exuperium, cap. 1. Leonem I. in epist. 90. ad Rust. cap. 3. Et Gregorium I. 1. epist. 34. Sed verba Leonis audiamus in epist. ad Anastasium Thessalonicensem, sem Episc. Omnium, inquit, sacerdotum tam excellens est electio, vt hæc, quæ in alijs Ecclesiæ membris vacat à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cùm enim extra clericorum ordinem cõstituti nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentia puritatem, nec Subdiaconis quidem carnale connubium conceditur, vt & qui habent sint tanquam non habentes, & qui non habent permaneant singulares, & innupti.

B His accedunt exempla totius antiquitatis; quotquot enim ab Apostolicis temporibus Episcopi, & Presbyteri celebres & laudati fuerunt, omnes omnino aut vxorem nūquam duxerunt, vt Athanasius, Basiliius, vterque Gregorius, Chrysoctomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Leo, & alij innumerabiles, aut vxores quidem habuerunt, sed illis post susceptum sacerdotium operam non dederunt, vt Gregorius pater Gregorij Theologi, Hilarius, Paulinus, & alij nō pauci. Certè vnum aliquem laudatum Episcopum, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum aut Monachum, qui duxerit vxorem, aut ex vxore antea ducta, filios procreauerit, adhuc aduersarij inuenire in tota antiquitate minimè potuerunt. Videt igitur Confess. contra quos canones, Pont. agant, cum sacerdotes non patiuntur nuptijs & procreationi operam dare.

XV. MENDACIUM.

P A 6. 25. in eodem articulo: *Hinc, inquit, capitalibus pœnis excruciantur sacerdotes, contra canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, nisi propter coniugium.* Si hoc non est mendacium, profertur aduersarij, vel vnum canonem vbi prohibitum sit, ne sacerdotes excrucientur, si vxorem ducere tentauerint. Nos enim iam canones multos produximus, in quibus indicitur continentia sacerdotibus; & sanè contra canones esse non potest, si pœna statuatur in canonum violatores. At, inquit Philippus in Apologia, *Canones tantum suspendunt ab officio, vos autem suspenditis ab arboribus.* Ergo fatetur imprimis Philippus, Lutherum præceptorem suum, & omnes alios noui Euangelij ministros, qui vxoribus carere noluerunt, ex canonum sententia, suspensos ab officio fuisse, & cum nihilominus officio fungi voluerint, contumaces, & rebelles, contra leges omnium Ecclesiarum extitisse, propter quod crimen, iure sanè ab arboribus suspendi potuissent. Deinde, neque est verum antiquos canones solùm ab officio suspendisse. Extat enim can. 1. II. Concilij Toletani, vbi statuitur, vt qui post sacros ordines vxorem ducunt, aut ad eam redeunt à cuius contubernio iam recesserunt; vt sacrilegij rei ab Ecclesia habeantur extranei. Etm Concilio Toletano VIII. Can. 6. qui post sacros ordines vxoribus copulantur, iubentur sub pœnitentiæ oneribus vsque ad extremum vitæ ad Monasteria relegari. In Concilio verò Turonensi II. ante 1000. annos celebrato, Can. 16. habentur hæc verba de Monachis, (qualis Lutherus, Bucerus, Martyr, Ochinus, & alij fuerunt ex Euangelicis) Si qui in monasterio conuersi sunt, nullatenus habeant licentiam euagandi, nec, quod absit, vllus eorum coniugem ducere. Nam si vxorem duxerit, excõmunicetur, & de vxoris malè sociatæ consortio, etiam iudicis auxi-

lio, separetur: qui infelix Monachus, tali cōiunctio-
ne fœdatus, si per cuiuscunque patrocinium se cona-
tus fuerit defendere, & is qui in hac pertinacitate per-
durat, & illi qui eum susceperint defendendū, ab Ec-
clesia segregentur donec reuertatur ad septa Mona-
sterij, & indicam ab Abbate, quamdiu præceptum
ei fuerit, agat, pœnitentiam, & post satisfactionem
reuertatur ad gratiã. Scribit Gregorius Turonicus,
lib. 4. hist. Francorum, c. 4. Insignem quendam Com-
item, qui dimisso, ex consensu mutuo, vxoris tho-
ro, sacris ordinibus initiatus fuerat, ac deinde à dia-
bolo instigatus, ad eãdem redire præsumperat, mox
fuisse vna omnium Episcoporum sententia excom-
municatum. Et multa similia vel exempla, vel decre-
ta, proferri possent, si necessitas postularer.

Accedit postremò, quòd nunquam Ecclesia sacer-
dotes puniuit, propter coniugia, (vt mētitur Philip-
pus) sed propter sacrilegia. Sicut enim (vt Aug. dicit,
in libro de bono viduitatis, cap. 9.) Non damnantur
viduæ, quæ nubunt post votum, quia coniugalem fi-
dem posterius inierunt, sed quia cōtinentiæ primam
fidem irritam fecerunt. Sic etiam non punit Ecclesia
sacerdotes, quia coniugiū inire volunt; sed quia con-
iugium post solemne votum contrahendo, non ve-
rum coniugium contrahunt, sed sacrilegiū commit-
tunt. Et si August. in eodem lib. cap. 11. lapsus vidua-
rum, quæ post simplex votum cōtinentiæ nubunt,
adulterijs peiores esse dicit; quid de lapsu sacerdo-
tum diceret, qui post solemne votum, vxorum no-
mine concubinas ducendo, coniugiū simul & sacer-
dotium violant? Quod si contendant vt faciūt, vota
cōtinentiæ non esse seruanda, iam non sacrilegiū so-
lūm, sed etiam hæretici sunt, & meritò ab arboribus
suspendi possunt, cū Apostolo contradicant, dicenti
1. Tim. 5. Adolescentiores viduas deuota, cum enim
luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volūt, habentes
damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt:
quem locum de voti cōtinentiæ violatione esse in-
telligendum, docent duo antiqua Concilia, Cartha-
ginense I V. Can. 104. Et Toletan. I V. Can. 55. Duo
antiqui Pontifices, Innocentius I. in epist. 2. cap. 23.
Et Gelasius I. in Epist. 1. cap. 23. Omnes interpretes
huius loci, Chrysostrmus, Theodoretus, Theophy-
lactus, Oecumenius, Ambrosius, Sedulius, Prima-
sius, Beda, Haymo, & cæteri denique Patres, Tertul-
lianus de Monogamia, Basilius de virginitate, Epi-
phanus hæref. 48. Hieron. lib. 1. in Iouinianum, Au-
gustinus de bono viduitatis, cap. 8. & 9.

XVI. MENDACIVM.

PAG. 25. in eodem articulo: Cyprianus, inquit,
suadet, vt mulieres nubant, quæ non seruāt promif-
sam castitatem. Verba eius hæc sunt, li. 1. Epist. 11. si au-
tem perseuerare nolunt, aut non possunt, melius est vt nu-
bant, quàm vt in ignem delictijs suis cadant. Mendacium
hoc esse, & Cyprianum non de ijs loqui quæ conti-
nentiam voverunt, sed de ijs, quæ adhuc deliberant,
quid sint facturæ, & interim extra matrimonium im-
pudicè viuunt, multis modis idem Cyprianus docet.
Primò, quia non ait, si perseuerare nolunt, aut non
possunt, quæ promiserunt Christo cōtinentiam;
Sed simpliciter, si perseuerare nolunt, aut non pos-
sunt, melius est vt nubant, quàm vt in ignē delictijs
suis cadant, id est, si perseuerare nolunt, melius est, vt
non voueant, quàm vt voueant, & votum non im-
pleant. II. Quia in sequentibus verbis idem Cypri-
anus coniugia detestatur earum, quæ se Christo dica-
uerant: Christus, inquit, Dominus, & iudex noster,

cum virginem suam sibi dicatam iacere cum altero
cernit, quàm indignatur, & irascitur, & quas pœnas
incestis eiusmodi cōiunctionibus comminatur? III.
Quia cum Cyprianus sub disunctione loquatur, &
dicat, se perseuerare nolunt, aut non possunt; Si de ijs
loqueretur, quæ continentiam promiserunt, videretur
velle dicere, licitum esse ijs, pro arbitrio vota
violare, si tantum nolūt perseuerare etiam si possunt:
quod certè nemo sanus admittet. Accedit, quod non
est villo modo credibile, aliud sensisse Cyprianum de
istò loco Apostoli; Melius est nubere, quàm vri; quàm
quod postea sensit Aug. qui tractans eundem locum
lib. 1. de adulterinis coniugijs ca. 15. Illis, inquit, quæ
se non continent, expedit nubere, & quod licet, ex-
pedit; quæ autem voverunt continentiam, illis nec
licet, nec expedit: Multò verò minus credibile est,
aliud Cyprianum Carthagin. Episc. de voto conti-
nentiæ docuisse, quàm ante eum Tertull. docuerit,
& post eum omnes Patres, ac præcipuè CCXIV. E-
piscopi Afric. qui in IV. Carthag. Concilio, conue-
nerunt, quorum testimonia paulò antè citauimus.

XVII. MENDACIVM.

PAG. 25. in artic. de Missa: Falsò, inquit, accu-
santur Ecclesia nostra, quod Missam aboleant: reti-
netur enim Missa apud nos, & summa reuerentiã celebra-
tur. Concordent, si possunt, huius Concordiæ auctò-
res hæc sua verba, cum illis alijs verbis suis, quæ ha-
bentur pag. 279. inter articulos Smalchaldicos. Cu-
retur, vt publice hominibus ostendatur, Missam vt rem
commentitiã seu humanum signentium, posse sine pecca-
to omitti. Et pag. 280. abroganda meritò missa est. Et pa-
281. Ceterum Draconis cauda ista (Missa intelligo)
peperit multiplices abominationes, & idololatrias. Si
igitur Missa res est vobis commentitia, & hominum
figmentum, & cauda draconis, & meritò abrogan-
da; cur eam non abrogatis? aut si eam iam dudum a-
brogastis, nec vllus ei apud vos locus cõceditur, cur
tam splendèdè mentimini? Dicent fortasse, Pontifi-
ciam Missam, id est, oblationem corporis Domini
pro viuis & mortuis, à se abrogatam, Lutheranam
autem, id est, Eucharistiã distributionem, retineri,
& summa reuerentiã celebrari. At non accusantur
Ecclesiæ vestræ, quod Eucharistiã distributionem
aboleant; sed quod sacrificium è medio tollāt, quod
omnibus sæculis in Ecclesia fuit. Itaque si per Mis-
sam intelligitis Cœnam Dominicam; mendacium
est quòd accusemini: Si verò sacrificium; menda-
cium est quòd falsò accusemini.

XVIII. MENDACIVM.

PAG. 27. in eodem articulo: Accessit, inquit, opi-
nio, quod Christus satisfecerit sua passione pro pecca-
to originis; & instituerit Missam, in qua fieret oblatio
pro quotidianis delictis mortalibus & venialibus. Hinc
manauit, quod Missa sit opus tollens peccata viuorum &
mortuorum ex opere operato. Multa sunt in his paucis
verbis, vel absurda, vel mendacia, vel pugnancia cum
superioribus partibus huius libri. Primum enim,
quis ante hoc tempus audiuit, Peccata mortalia vo-
cari delicta quotidiana? Sanè D. Augustinus in
Enchirid. cap. 71. distinguit peccata quotidiana, à
sceleribus, & illa leuia, breuia, & minima vocat. De-
inde impudenti mendacio tribuitur Catholicis do-
ctoribus illa diuisio, quod Christus passione sua sa-
tisfecerit solūm pro peccato originis; Pro actualibus
autem instituerit Missam. Nemo enim Catholico-

rum vnquã sic docuit, sed credimus, & profitemur, Christum in cruce pro omnibus omnino peccatis satisfecisse, tam originalibus, quã actualibus; quia tamen meritum passionis eius non prodest, nisi certa aliqua ratione applicetur, (si enim nulla requiritur applicatio, cur non omnes homines saluantur, cum sanguis Christi fuerit propitiatio, pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. neque verò sola fide applicari potest, alioqui mentiretur, qui dixit; Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Io. 3.) propterea docet Ecclesia Catholica, ad peccata expianda, siue ad meritum passionis Christi hominibus applicandum, instituta esse varia Sacramenta, & ipsum etiam corporis Domini sacrificium, quæ omnia ex opere operato vtilia sint, & ad peccatorum purgationem conducant, licet non æqualiter, nec eodem modo. Quod verò hic negat Philippus Missam valere ex opere operato, & apertius Lutherus in articulis Smalchaldicis, qui huic ipsi operi inserti sunt, repugnat articulo Confessionis 8. & hæresin Donatistarum renouat. Nam cum in hoc artic. de Missa, Missam à se retineri, & summa reuerentia celebrari dicunt, certè Missam vtilem esse credunt. Non autem volunt vtilem esse ex opere operato; Ergo ex opere operantis vim illius pendere existimant. At hæc hæresis est Donatistarum, quam nominatim art. 8. damnauit Aug. Confessio. Vbi etiam asseruit: *Verbum, & Sacramenta, vtilia & efficacia esse ex institutione Dei, siue per bonos, siue per malos ministros exhibeantur.* Et hoc ipsum est, quod Theologi nostri per opus operatum intelligunt, & ab opere operantis distinguunt. Sed vide vnde Philippus occasionem arripuerit mentiendi, & calumniandi, quia videlicet S. Thomas in opusculo, de Sacramento altaris, cap. 1. docet: Corpus Domini semel oblatum in cruce pro debito originali, iugiter offerri in altari pro debitis quotidianis. At S. Thomas non dicit, in cruce pro solo debito originali oblatum Christi corpus, imò etiam pro actualibus oblatum docet; 3. p. q. 1. art. 4. & q. 49. art. 1. ad 4. Id ergo in eo opusculo sibi voluit S. Thomas, quia peccatum originale semel dimissum nunquam repetitur, idè ad illud expiandum non esse necessaria quotidiana sacrificia, sed sufficere sacrificium crucis semel peractum, & semel per Baptismum applicatum; At pro peccatis actualibus, quæ sæpius committuntur, instituta esse, præter Baptismum, quotidiana remedia, in quibus sacrificium altaris meritò numeratur. Nò quòd statim peccatores iustificet, (vt aduersarij nos dicere mentiuntur;) sed quòd iuuat ad placandum Deum, & ab eo impetrandum, vt super peccatores clementer respiciat, eisque desiderium conuersionis inspi-ret, atque ad iustificationem quærendam, & obtinendam, disponat.

XIX. MENDACIVM.

PA G. 28. in eodem articulo: *Veteres, inquit, ante Gregorium, non faciunt mentionem priuata Missæ.* Quod idem repetitur in Apologia pag. 225. Si per Missam priuatam intelligatur Missa, quæ priuato nomine fiat, siue ab vno tantum fiat, & vni soli proficit: Mendacium est, quod post Gregorium, eiusmodi Missæ in Ecclesia esse cæperint. Nulla est enim nec vnquam fuit in Ecclesia Missa priuata; sed omnis Missa publica est, cum omnis Missa fiat à sacerdote, vt publicus minister est, & pro communi & publica vtilitate totius Ecclesiæ. Si verò per Missam priuatam intelligant eam, quæ non fit in loco publico, vel

A ad quam non conuenit populi multitudo, vel in qua non distribuitur populo Sacramentum; falsum est apud veteres non exstare memoriam eiusmodi Missarum, ante tempora Gregorij. Certè Augustinus Gregorium, ducentis ferè annis antecessit, & tamen lib. 22. de Ciuit. Dei, ca. 8. scribit hæc verba; Vir tribunitius Hesperius, qui apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Cupedi appellatū, vbi cum afflictione animalium & feruorum suorum, domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente, Presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deoque protinus miserate cessauit. Habes hinc Missam in loco priuato, ab vno celebratam, sine distributione Eucharistiæ populo facta, & tamen vtilem, & Deo gratam, vt miraculum subsequens declarauit.

XX. MENDACIVM.

PA G. 29. in art. de Confessione. *Antea, inquit, immodicè extollebantur satisfactiones, fidei verò & meriti Christi, ac iustitia fidei, nulla fiebat mentio.* Hoc mendacium refellunt omnes libri Catholicorum, in quibus & fides passim prædicatur, & virtus Sacramentorū, & ipsarū etiam satisfactionum, ad meritum Christi refertur. Nunc vnus locus sancti Thomæ sufficiet. 3. p. q. 62. art. 5. Christus (inquit) S. Thomas, liberauit nos à peccatis nostris, præcipuè per suam passionem, non solum efficeret, & meritorie, sed etiam satisfactorie. Similiter etiam per suam passionem inchoauit ritum Christianæ religionis, offerens se ipsum oblationem, & hostiam Deo, vt dicitur ad Eph. 5. Vnde manifestum est, quòd Sacramenta Ecclesiæ specialiter habent virtutem ex passione Christi, &c. Et infra: Per fidem Christus habitat in nobis, vt dicitur ad Ephes. 3. & idè virtus Christi copulatur nobis per fidem, &c. Mentitur ergo qui dicit, ante hæc tempora nullam factam esse in Ecclesia fidei & meriti Christi mentionem.

XXI. MENDACIVM.

PA G. 34. in art. de votis monasticis. *Augustini, inquit, tempore Monasteria erant libera collegia, postea corrupta disciplina, vbique addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur.*

Mendacium est hoc sanè, dignissimum cui non solum octo millia Lutheranorum subscriberent; sed etiam tot illustres ciuitates, totq; illustrissimi Principes, suffragium suum adiungeret. Quid enim? An non vixit August. tempore Augustini? Is igitur scribens in Psal. 75. ita loquutus est: Nemo positus in Monasterio frater dicat, recedo de Monasterio, neque enim soli qui sunt in Monasterio, peruenturi sunt ad regnum cælorum; & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei, sed illi non vouerunt, tu Vovisti. Et in Psal. 99. de Monachis apostatis loquens: Dum non perseverauerit, inquit, implere quod Vovit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Sed fortè nò sufficit vnus. Nam in ore duorum vel triū testium stabit omne verbum. S. IOAN. CHRYSOST. qui ætate Augustini ita vixit, vt etiam ante Augustinum mortuus sit, in epist. 6. quæ est ad Theodorum, qui deserto Monasterio vxorem ducere voluerat (vt hoc

tempore passim faciunt, qui ab Ecclesia ad Lutheram, nos deficiunt) Honorabiles, inquit, nuptiæ, sed etiam seruare non conuenit priuilegium nuptiarum; quamuis frequenter hoc ipsum nuptias voces, ego tamen adulterio illud peius existimo, &c. At cur obsecro, nuptiæ Monachorum, adulterijs sunt peiores, si nullis votis tenentur? S. Hieronymus, & ipse Augustino senior, in epistola ad Sabinum. Moris est, inquit, in Ægypti & Syriæ Monasterijs, vt tam virgo, quàm vidua, quæ se Deo uouerint, & seculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcant, crinem Monasteriorum matribus offerant, defecandum. S. Epiphanius scribens contra hæresim sexagesimam primam. Tradiderunt, inquit, S. Apostoli, peccatū esse, post decretam uirginitatem, ad nuptias conuerti. S. Basilius, qui nominatis alio, quanto Patribus uetustior fuit, in proœmio Monasticarum constitutionum. Itaque, inquit, qui à mundi uinculis liber esse cupit, nuptias ueluti pediculas quasdam fugit, his autem relictis, uitam suam Deo consecrat, & castitatem proficitur, vt neque fas, cultas ipsi sit conuersionis ad nuptias. Et infra, ca. 22. Constituit, meminit uoti Obedientiæ, & cap. ult. uoti Paupertatis. Idem in libro de uirginitate: parum à medio: Cum, inquit, Domino uirginitatem probasse sint, carnali postmodum uoluptate male blanda delinunt ac deuictæ, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt. Hæc dicta putentur Catharinæ coniugi Lutheri, ipsi autem Luthero conuenit, quod paulo antè habet: Horrendo, inquit Basilius, sacrilegio Christi sponsæ adulter efficitur. Denique idem Basilius in epist. ult. quæ est ad uirginem lapsam. Et quia, inquit, impius in profundum colapsus, mala de cetero contemnit, etiam ipsa abnegas ad uerum sponsum pacta, neque esse uirgo, neque unquam promississe clamans. Reuoca in memoriam honestam professionem, quam professus es, coram Deo, & Angelis, & hominibus, &c.

XXII. MENDACIUM.

IBIDEM sic aiunt. *Docebant uota paria esse baptismi, docebant se hoc uita genere mereri remissionem peccatorum, & iustificationem coram Deo.* Et infra: *Ita persuadebant uitam monasticam esse meliorem baptismi.* Et addit Philippus in Apologia, pag. 250. *docebant, applicata alijs, alios saluare.* At quis Catholicorum unquam ita docuit? Dicimus quidem opera religionis, id est, castè uiuere, nihil proprium possidere, obedire maioribus, opera esse bona, & meritoria uitæ æternæ, si à iustis fiant, & conducere, ad satisfaciendum pro peccatis, sicut cetera omnia opera bona: at mereri iustificationem illam, qua ex impijs efficitur iusti, nullus Catholicorum docet. Scimus enim non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed propter magnam Dei misericordiam, iustos fieri, quotquot uerè iustificantur. Addimus uerò, posse Monachos facere alios homines operum suorum bonorum participes, vt possunt omnes alij fideles, cum sit communicatio inter membra eiusdem corporis. At quod possit Monachus suis operibus alios saluos facere, merendo eis gratiam & gloriam, mera calumnia est, nemo nostrum hoc dicit. Denique non negamus, inter Baptismum & Monachatum esse quandam similitudinem; quod sicut in Baptismo remittitur omnis pœna peccatis debita; ita quoque in susceptione uitæ monasticæ fieri credibile est. At non continuo anteponimus, uel æquamus Monachatum Baptismo, Baptismus enim, & culpam, & pœnam remittit, &

hominem de impio facit pium, & de filio diaboli filium Dei; Professio uerò monastica, solam pœnam remittit, quæ post remissam culpam aliquando remanet. Neque hæc est solius S. Thomæ doctrina (vt Philippus existimat) sed etiam ueterum SS. Patrum. Scribit S. Athanasius, in uita B. Antonij, Angelicam uocem aliquando auditam, quæ testaretur, D. Antonio omnia peccata dimissa, cum per uitam monasticam sæculo renunciauit. Sanctus quoque Hieronymus in epist. 25. de obitu Blesillæ. Cum, inquit, propitio Christo ante quatuor ferme menses, secundo quodam modo se propositi Baptismo lauerit, & ita deinceps uixerit, vt calcato mundo semper Monasterium cogitauerit, &c. S. Bernardus libro de præcepto & dispensatione, non procul à fine: Audire, inquit, & hoc uultis à me, unde præter cetera penitentia instituta, monasterialis disciplina meruerit hæc prærogatiuam, vt secundum Baptisma nuncupetur? Arbitror, ob perfectam mundi renunciationem, ac singularem excellentiam uitæ spiritualis, qua præeminens uniuersis uitæ humanæ generibus huiusmodi conuersatio, Professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit immo diuinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, & quasi denique secundo baptizamur, dum per id, quod mortificamus membra nostra, quæ sunt super terram, Christum induimus, cõplantari, denuò similitudini mortis eius. Hæc S. Bernardus, cuius testimonium Philippus rejicere non deberet, cum in Apologia eum, tum inter sanctos uiros numeret, tum eius testimonia tanquam grauissima, pro se adducat. Illud tamen non est prætereundum, nec S. Bernardum, nec S. Thomam, nec ullum Catholicorum uitam monasticam baptismi anteposuisse, quod tamen Philippus Catholicis attribuit.

XXIII. MENDACIUM.

PAG. 34. *Quid fiebat, inquit, in Monasterijs? olim perant Schola sacrarum litterarum, & aliarum disciplinarum.* At non ita describunt nobis Monasteriorum exercitationes. Hieronymus in epistola ad Eustochium de seruanda uirginitate, & in altera ad Rusticum de institutione Monachi; Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ; Ioannes Cassianus in libro de institutis Cœnobiorum; Benedictus in Regula; & ante hos omnes Basilius, in monasticis constitutionibus; Hi siquidem, meminerunt obedientiæ, continentiæ, paupertatis, ieiuniorum, uigiliarum, silentij, psalmodiæ, solitudinis, ciliciorum, & similibus rerum: At humanarum disciplinarum, Physicæ, Dialecticæ, Oratoriæ, ac Poeticæ artis, ne uerbo quidem meminerunt. Viderit ergo Philippus ubi scholastica & politica Monasteria somnari.

XXIV. MENDACIUM.

PAG. 45. in art. de potestate Ecclesiastica. *Facile, inquit, possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non uirgerent seruare traditiones, quæ bona conscientia seruari non possunt. Nunc imperant cœlibatum, nullos recipiunt nisi iurēt se puram Euangelij doctrinam nolle docere.* Ostendant si possunt, quis unquam Episcopus exegerit iuramentum de non docenda pura Euangelij doctrina. Nisi forte nomine puræ doctrinæ, hæreses intelligi uelint. Praxis enim Ecclesiæ habet, vt exigatur à Pastoribus iuramentum, de non docen-

dis hæresibus, & de Scriptura non explicanda nisi iuxta consensum sanctorum Patrum, & hoc, vt erroribus, & impuritati doctrinæ aditus præcludatur. Neque verum est, cœlibatum imperari, sed tantum exigi vt conditionem ad sacerdotium necessarium. Quemadmodum enim liberum est vnicuique sacros ordines non suscipere, ita quoque liberum est cœlibatum non seruare.

XXV. MENDACIVM.

PAG. 51. in præfatione. *Et nunc scripsi, quàm moderatissimè potui. Ac si quid videtur dictum asperius, hoc mihi præfandum est me cū Theologis, ac Monachis, qui scripserunt confutationem, litigare, non cum Casare, aut Principibus, quos, vt debeo, venerer, &c.* Si vera sunt hæc verba, contra Theologos, & Monachos, aliosque Catholicos qui cōfutationem non scripserunt, nihil scripsit in Apologia hac Philippus, quod contumeliam sonare possit: contra ipsos etiam, qui confutationem scripserunt, etsi aliquid asperius dictum sit, seruata tamen est moderatio, quæ tantum Theologum decebat. At in ista ipsa pag. 51. in verbis, quæ immediatè præcedunt hanc protestationem moderationis, asperrimè flagellantur Theologi Catholici. *sed aduersarij, inquit, sic agūt causam, vt ostendant se neque veritatem, neque concordiam querere, sed vt sanguinem nostrum exorbeant.* Et infra, eadem pagina: *sophista nominantur omnes Theologi.* Et infra, pagina centesima tertia, moderatissimè loquitur Philippus, cū ait: *Turpe est autem aduersarijs, tā opere predicare dilectionem, cū nusquam præstant eam. Quid nunc agunt? dissipant Ecclesias, scribunt leges sanguine, & has proponunt Casari, clementissimo principi promulgandas, trucidant sacerdotes, & alios bonos viros, si quis leuiter significarit, se aliquem manifestum abusum non omnino probare.* Et pag. 164. Insignis moderatio cernitur in istis verbis Philippi: *Deus perdat illos impios sophistas, qui tam sceleratè detorquent verbum Dei, ad sua somnia vanissima.* Et paulò post: *Quis docuit hos asinos Dialecticam.* Et pag. 200. *Nec vident isti Asini apud Hieronymum contra Vigilantiū, &c.* Et pag. 208. *Manifestos abusus noua & inusitata crudelitate defendunt. Nullos patiuntur in Ecclesia idoneos Doctores.* Et pag. 212. *Nunc hoc expendat prudens lector, quid frontis habeant isti nihili homines.* Et infra, de grauissimis Theologis ait: *Quasi verò Ecclesiam valde ornet ista publica infamia flagitiosarum, prodigiosarum libidinū, quæ flagrant apud illos sanctos Patres qui Curios simulat & Bacchanalia viuunt? ac pleraque ne verecundè quidem nominari queunt, quæ isti summa licentia faciūt.* Et pag. 220. *illi sardanapali consulto abutuntur pretextu religionis.* Et pag. 122. *Videtis, inquit, extremam impudentiam istorum nebulonum, &c.* Sanè prædicanda moderatio est, senes grauissimos, doctissimosque Theologos, nunc asinos, nunc nebulones, nunc Sardanapalos, nunc homines nihili appellari, & sic appellari ab eo, qui vix Grammaticam benè teneat.

XXVI. MENDACIVM.

PAG. 59. in Apol. art. 2. *Ad eundem modum* (inquit Philippus) *loquitur & Augustinus, qui ait, Peccatum in baptismo remittitur, non vt non sit, sed vt non imputetur. Hic palè fatetur esse, hoc est, manere peccatum, tamen si non imputetur. Et hæc sententia, adeo placuit posterioribus, vt recitata sit & in decretis.*

Mirum profectò est, tā opere placere quibusdam

A mendacia, vt ab eis auelli nulla ratione possint. Scripserat hoc idem Lutherus in assertione art. 2. & ostensum illi fuit ab Episcopo Rossensi, nusquam dicere Augustinum, peccatum manere, & non imputari, sed concupiscentiam manere, & nō imputari in peccatum, sicut verè non est peccatum. Hæc enim verba sunt Augustini: quæ corruptè citantur à Lutheranis, lib. 1. de nuptijs & concupiscentia, ca. 25. Si quæritur; Quomodo ista concupiscentia maneat in regenerato, in quo vniuersorum facta est remissio peccatorum? Respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatum non imputetur. Lib. quoque 6. in Iulianum, cap. 8. non dicit Aug. peccatum actu manere, reatu transferre. Nec enim tam stupidus erat Aug. vt non intelligeret, ista non cohærere, peccatum actu manere, & non manere reatu; cū ipse idem Aug. peccatum per reatum definire soleat. Et idem ibid. 1. de nuptijs & concup. cap. 25. Cū dicit, hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati. Qui etiam passim asserit, concupiscentiam remanentem malum quoddam, & infirmitatem esse, nō autem peccatum. Tract. 41. in Ioannem: Nunquid, inquit, quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Et lib. 6. contra Iulianum, cap. 5. *Omni peccato caret iustificati, sed non omni malo. Quid quod ipse etiam Philippus in Colloquio Vvormatiensi, (vt Ioannes Cochleus testatur in discussione Confessionis Angustanæ, art. 2.) ingenuè fassus est, malè hunc locum ex Augustino esse citatum, cū id ei Ioānes Eckius obiecisset. Quid? quod multi nostrorum sapius iam de hoc errore Lutheranos admonuerunt? Cū igitur mendacium toties patefactum & refutatum, in libro Concordiæ, cui octo millia hominum subscripserunt, adhuc inueniatur: vnum è duobus necessarium est, aut hoc mendacium à sedecim millibus oculorum deprehendi non potuisse, aut voluisse aduersarios, etiam cum mendacijs Concordiæ facere. Adde quod in decreto etiam Gratiani, dist. 4. de consecratione, can. Per Baptismum; non habetur peccatum manere (vt Philippus mentitur) sed concupiscentiam.*

XXVII. MENDACIVM.

PAG. 62. in Apologia pro art. 4. sic ait Philippus, *Damnant auctores confutationis Confessionis Angustanæ, quod affirmamus, homines fide cōsequi remissionem peccatorum, & fide in Christum iustificari.* At mendacium est. Non enim auctores confutationis Confessionis damnant, quod fide dicamur iustificari, sed quod fide sola. Illa enim confutatio, de qua Philippus loquitur, extat in harmonia Confessionis Angustanæ, edita ab Andrea Fabritio Leodio, & in ea sic legimus, art. 5. *Quod fidei mentionem hic faciunt, eatenus approbatur, quatenus de fide nō sola, vt aliqui malè docent, sed quæ per dilectionem operatur, vt Apostolus rectè docet, ad Gal. 5. intelligatur.* Hæc ibi.

XXVIII. MENDACIVM.

IBIDEM: *Antonius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, & alij sancti Patres, elegerunt certum vitæ genus, &c.* Vel ex animo Philippus loquitur, cum sanctos vocat Antonium, Bernardum, Dominicū, Frācisçū, vel aliud sentit, aliud dicit. Si loquitur ex animo, destruit totam Confessionem Angustanæ, & vniuersum prorsus Lutheranismū. Cōstat enim hos

quattuor Patres Monachos fuisse, & Patres Monachorū, & omnes certū vestimēti genus excogitasse, cucullos gestasse, à certis cibis abstinuisse, vota cōtinentiæ perpetuæ, & paupertatis, ac obedientiæ coluisse, atque alijs commendasse. Item Antonium certum est in solitudinem se contulisse, & omnia ciuilia officia deseruisse. Bernardū & Dominicum Missam assiduè dixisse, Papæ Romano adhæsisse, atque ad eò Papistas supra modum fuisse: Franciscum denique nemo ignorat, in suo testamēto fidem Romanæ Ecclesiæ commendasse; ac imperasse, vt si quis ex suis à fide Romanæ Ecclesiæ aberraret, is diligentissimè custoditus, in manus iudicū traderetur. Si verò aliud loquitur, aliud sentit, illius imitator, & filius est, qui mendax fuit ab initio, imò qui & pater mendacij, ab ipsa veritate nominatur.

XXIX. MENDACIVM.

PAG. 105. in Apologia: *Aduersarij*, inquit Philippus, *docent homines iustificari, dilectione & operibus, de fide, qua apprehēdimus propitiatorem Christum, nihil dicunt: imò hanc fidem improbant, neque improbat tantum sentētijs, aut scriptis, sed etiam ferro & supplicijs conantur in Ecclesia delere.* Iam sæpe diximus, veram fidem in Christum nos maximè requirere in negotio iustificationis; & propterea mentiri Philippū; cū ait, nos de fide aut nihil dicere, aut fidem oppugnare. Specialem tamē illam fidem Lutheranorum, superbam, atque arrogātem, quæ sola vult iustificare, nec patitur comites, quos illi Deus assignauit, meritò reijcimus, & deletam funditus, atque exterminatam optamus, quandoquidem & ipsa delet atque exterminat orationem, Sacramenta, opera bona, & quidquid Deus ad salutem hominū instituit. Nam si quis non orat ex fide, malè orat, & Deum irritat potius, quàm placat, vt aduersarij etiam fatentur. Debet igitur fides orationē præcedere; at vbi est fides, ibi continèd est iustificatio; & certus est Lutheranus ex fide sibi remissa esse peccata; neque potest ea de re sine grauissimo scelere dubitare; Ergo non potest orare ac dicere; Dimitte nobis debita nostra: vel cum publicano; Deus propitius esto mihi peccatori; Sed cū Phariseo dicendum illi est; Domine, gratias tibi ago quia nō sum sicut cæteri homines. Quomodo enim petere audebit, quod certò scit ex fide, se iā esse consecutum? Pari ratione sine fide Sacramenta non profunt, sed obsunt; at fides vbi adest, mox iustificat, quorsum igitur Baptismus post fidem adhibetur? Niniuitæ quoque perdidērunt ieiunium illud suum tam laboriosum. Nam si absque fide ieiunarūt, nihil eis profuit; si fide præcedente, iā Deus ante ieiunium placatus erat. Multa hic dici possent, sed causā ista vsque ad fastidium iam à multis tractata est.

XXX. MENDACIVM.

PAG. 112. in Apologia: *Planè*, (inquit Philippus) *surdisunt aduersarij, toties iam dictum est, legē sine Christo non prodesse, propter quē placent bona opera. Sed illi vbiq̄, excluso Christo, docēt mereri iustificationem, opera legis.* Mentiris, Philippe, & tam impudenter, vt mirum sit, si quem inueneris, qui tibi credat. Profer saltem vnum ex Theologis nostris, qui doceat, opera sine Christo mereri iustificationem. Certè ipsa confutatio Catholica, aduersus quam potissimum Apologiam scribis, ita loquitur articulo 4. Attamen omnes Catholici fatentur, opera nostra ex se nullius esse meriti. Vide supra, Mendacio XX.

XXXI. MENDACIVM.

PAG. 124. in Apolog. art. 6. sic ait Philippus: *Nec offendat quemquam, quod sibi Ecclesia nomē vendicant. Nam Ecclesia Christi apud hos est, qui Euāgelium Christi rectè docent: non apud illos, qui prauas opinioniones contra Euangelium defendunt.* Et passim in hac Apologia negat Philippus, apud nos esse Ecclesiam. At hoc falsum esse, ex eadem Apologia cōvinci potest. Nam pag. sequenti, id est, 125. dicit Philippus; *Antichristum sedere in templo Dei, id est, vt ipse exponit, in Ecclesia dominari & gerere officia.* Et pag. 130. dicit; *Papam esse Antichristum.* Si ergo Papa tanquam Antichristus in Ecclesia dominatur, & gerit officia, & tamen non dominatur nec gerit officia inter Lutheranos, sed inter Papistas; Ergo nō Lutherani, sed Papistæ sunt in Ecclesia. Et præterea pag. 222. Philippus agnoscit aliquam offensionem, eo quod schisma fecerit, & se cum suis diuulserit, ab illis, qui existimantur ordinarij Episcopi, & addit, se concordiam summo studio concupiuisse; quod & alibi sæpe repetit. At si apud nos non est Ecclesia, sed regnū Antichristi, & ipsi Episcopi membra sunt Antichristi, certè nō est crimen, à nobis & Episcopis nostris dissidere; sed è contrario potius crimen grauissimū est, cū Antichristo velle concordare. Concordet igitur secum liber Concordiæ, & aut apud nos Ecclesiam esse fateatur, aut non dicat Antichristum in Ecclesia magistratum gerere, neque nobiscum Concordiam desideret.

XXXII. MENDACIVM.

PAG. 129. in Apolog. *Manifestus* (inquit Philippus) *error est, quod docent aduersarij, mereri homines remissionem peccatorum dilectione erga Deum, ante gratiam.* At profectò ne somniauit quidem vnquam vllus Catholicorum, quod hīc nobis obijcitur, & in confutatione Catholica passim repetitur, opera sine gratia nihil valere.

XXXIII. MENDACIVM.

IBIDEM: *Quid opus erit fide, si Sacramenta ex opere operato, sine bono motu vtiens iustificant?* At nullus Catholicorum dixit vel scripsit vnquam, in adultis non requiri cum Sacramentis motum internum fidei, displicentiæ, vel contritionis, &c. Et nos supra, Mendacio XX. adduximus S. Thomam, asserentem, applicari Christi meritum hominibus per fidem, in Sacramentis.

XXXIV. MENDACIVM.

PAG. 129. in Apolog. sic ait Philippus: *Sed fortasse aduersarij sic postulas, definiri Ecclesiā quod sit Monarchia externa, suprema totius orbis terrarū, in qua oportet Romanū Pontificem habere potestatē a vno de vno, de qua nemini liceat disputare, aut iudicare, condēdi articulos fidei, abolēdi Scripturas, quas velit, instituēdi cultus & sacrificia, &c.* Et infra: *Atque hæc definitio non Ecclesia Christi, sed Regni Pontificij, habet auctores non solum Canonistas, sed etiam Danielem, cap. 11.*

Profert igitur vnum Canonistam, qui dicat Pontificem Romanum posse Scripturas abolere, institue-
re sacrificia, & similia facere, & cū non potueris, scito te & esse & haberi mendacem. At nos facile

possimus ostendere, Lutherum vestrum id sibi auctoritatis arrogasse, ut aboleret plurimos sacrosanctæ Scripturæ libros, ut Machabæorum volumina, Epistolam Iacobi, Epistolam ad Hebræos, & alia quædam. Item, ut conderet nouum articulum, quo videlicet quisque ex fide credere teneatur se esse iustum, licet in omni bono opere peccet. Quod verò ex Daniele adducitur, ad demonstrandum Romanum Pontificem esse Antichristum, non in Pontificem, sed in Lutherum aptissimè quadrat. In eo enim loco Daniel Antichristo tribuit, non instituire sacrificia, quod vos Papæ tribuitis, sed tollere iuge sacrificium quod Lutherus totis viribus facere conatus est. Addit ibidem Daniel, Antichristum contra omnes Deos pugnaturum; At Pontifex Romanus, ut vos quidem putatis, Deos innumerabiles colit, omnes videlicet Sæctos, & Sanctas, qui cum Christo regnant, cum è contrario Lutherus aduersus omnes Sanctos bellum gerat.

XXXV. MENDACIVM.

PAG. 130. in Apolog. art. de Ecclesia sic de Romanis Pontificibus loquitur Philippus. *Quotus quisque curat Euangelium, aut indicat dignum lectionem? Multi etiam palam irridet religiones omnes.* At cur tam insignis criminis nullum in te tem citas, nisi quia non crimen Pontificum, sed tuum mendacium, tua blasphemiam est? certè Innocentius III. ex illis est, quos non probatis, & tamen exstant sermones eius, exstant epistolæ, exstant alia opera plena sacris testimonijs. Quod idem de multis alijs dici posset ut omitam, quod semper Pontifices sacra fecerunt, vbi leguntur Euangelica non Latinè solum, sed etiam Græcè.

XXXVI. MENDACIVM.

PAG. 136. in Apolog. art. 10. sic mentitur Philippus: *Decimus articulus approbatus est, in quo cõfitemur nos sentire, quod in Cœna Domini verè, & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum illis rebus, que videntur, pane & vino, his qui sacramentum accipiunt.* At bone Philippe in art. 10. Confessionis, quem nostri receperunt, nulla facta est mentio, panis & vini manentis cum corpore, & sanguine Christi, Hinc enim est articulus decimus. De Cœna Domini docent, quod corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuuntur vescentibus in Cœna Domini. In Germanico autem exemplari additum erat, sub specie panis & vini. Tantum verò abest, ut Catholici tunc receperint talem articulum, de pane manente cum corpore Domini, ut expressè monuerint, recipiendum esse decretum Generalis Concilij de transubstantiatione panis in corpus, & vini in sanguinem Domini.

XXXVII. MENDACIVM.

PAG. 140. in Apolog. art. 11. *Nunc de hac fide consequente remissionem peccatorum, nulla est syllaba in tanta mole Constitutionum, Glossarum, Summarum, Confessionalium: nusquam ibi Christus legitur.* Si de fide loqueris que sola iustificet, & certos absolutè reddat remissa esse peccata, non miretis, si ea fides non inueniatur in Glossis & Summis; nam cum illæ fieret, ista nondum erat nata. At de fide vera in Christum & de ipso Christo, nihil in tot libris legi, mendacium est nimis crassum. Certè S. Antoninus, qui inter Summistas non postremum locum tenet, tam de fide, quam de Christo fusissimè disserit. Nec vlli alij de hisce rebus siluerunt.

XXXVIII. MENDACIVM.

PAG. 140. in Apol. art. 12. sic Philippus loquitur: *Quid hic Carole, Cesar inuictissime, faciemus? Hæc est propria vox Euangelij, quod fide consequamur remissionem peccatorum. Hanc vocè Euangelij damnant isti scriptores confutationis.* Sed non ita est Philippe: non enim confutatio vsquã negat, nos fide consequi remissionem peccatorum; sed negat nos sola fide consequi remissionem peccatorum: quod & Euangelium passim negat, cum & Sacramentis, & dilectioni, & penitentia tribuat remissionem peccatorum.

XXXIX. MENDACIVM.

Sed Sexies Geminatum.

PAG. 143. in Apol. art. 12. numerantur hæc dogmata, tanquam sint Catholicorum Theologorum: *Quod per bona opera extra gratiã facta, mereamur ex pacto diuino gratiam. Quod per attritionem mereamur gratiam. Quod ad deletionem peccati, sola detestatio criminis sufficiat. Quod per contritionem, non fide in Christum consequamur remissionem peccatorum. Quod potestas clauium valeat ad remissionem peccatorum, non coram Deo, sed coram Ecclesia. Quod susceptio Sacramenti penitentia, ex opere operato, sine bono motu vitæ, hoc est, sine fide in Christum, conferat gratiam.* At hæc omnia non nostra dogmata, sed Philippi mendacia sunt. Nec dubium quin subscriberent contra ista dogmata, non octo millia, sed plusquam octingenta millia Catholicorum, ut iam periculum sit, ne suffurentur aduersarij Cretensibus illud Encomium Apostolicum, Cretenses semper mendaces.

XL. MENDACIVM.

PAG. 163. in Apol. art. 12. de satisfactione loquens Philippus, sic ait: *Hæc tota res est commentitia, recens conficta, sine auctoritate scriptura, & veterum scriptorum Ecclesiasticorum.* Ac ne Lombardus quidem, de satisfactionibus hoc modo loquitur. *Scholastici viderunt in Ecclesia esse satisfactiones, nec animaduertunt, illa spectacula instituta esse tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia. In summa, non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam. Idè superstitione sinxerunt eas, non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere.* Et pag. 164. *Adhuc Lombardi tẽpore ignora erat (satisfactio.)* Et pag. 175. *Quod Patres mentionem faciunt satisfactionis, quod Concilia fecerunt canones, diximus supra, disciplinam Ecclesiasticam fuisse exempli causa constitutam; nec sentiebant, hanc disciplinam necessariam esse, vel ad culpam, vel ad pœna remissionem.*

Hoc esse mendacium, vel vnus Cyprianus abundè declarabit. Is enim auctor, & sanctus, & antiquus, & doctissimus fuit. Nam de sanctitate, martyrium; de doctrina, volumina quæ reliquit; de antiquitate, historiarum omnes testimonium præbet: certè plus quam octingentis annis, Petro Lombardo vetustior est Cyprianus. Is igitur in Sermone, qui est de lapsis, prope finem, ita loquitur: *Qui autem penitentiam, criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt: ita fit, ut dum temeritate quorundam promittitur salus falsa, vel creditur. spes veræ salutis adimatur.* Vos verò fratres dilectissimi quorum timor in Deum pronus est, & in ruina licet animus constitutus, mali sui memor est; penitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, grauissimum conscientia crimen agnoscite, ad intelligentiam delicti vestri oculos cordis aperite, nec desperates misericordiam Do-

„ mini, nec tamen iam veniam vindicantes. Deus
 „ quantum Patris pietate indulgēs semper & bonus
 „ est, tantum iudicis maiestate metuēdus est. Quam
 „ magna deliquimus, tam granditer dessemus. Alto
 „ vulnere diligens & longa medicina non desit: pœ-
 „ nitentia crimine minor non sit. Putāsne tu Domi-
 „ num citò posse placari, quē verbis perfidis abnu-
 „ isti, cui patrimoniū præponere maluisti, cuius tem-
 „ plū sacrilega contagione violasti? Putas faciliè eum
 „ misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare
 „ oportet impensius, & rogare, diem luctu transige-
 „ re, vigilijs noctes ac fletibus ducere, tempus omne
 „ lacrymosis lamentationibus occupare, stratos so-
 „ lo adhærere cineri, in cilicio & sordibus volutari:
 „ post indumentum Christi perditum, nullum hîc
 „ iam velle vestitum, post diaboli cibum, malle ieiun-
 „ ium. Et infrà: Sic sub Apostolis fides viguit, sic
 „ primus credentium populus Christi mandata ser-
 „ uauit. Et infrà: Pœnitenti, operanti, roganti, potest
 „ clementer ignoscere, potest in acceptum referre,
 „ quidquid pro talibus & petierint martyres, & fe-
 „ cerint sacerdotes: vel si quis plus quam suis satisfa-
 „ ctionibus mouerit, si eius iram, si indignantis of-
 „ fensam, iusta deprecatione placauerit; dat ille & ar-
 „ ma rursus, quibus victus armetur. Et infrà: Qui
 „ sic Deo satisfecerit, qui pœnitentiā facti sui, qui pu-
 „ dore delicti, plus & virtutis & fidei de ipso lapsus
 „ sui dolore conceperit, exauditus & adiutus à Do-
 „ mino, quàm cōtristauerat nuper, lætam faciet Ec-
 „ clesiam; nec iam solūm Dei veniam merebitur, sed
 „ coronam. Hæc ille. Habes hic imprimis ter no-
 „ men satisfactionis. Habes deinde, illam consistere in
 „ operibus, luctu, cinere, cilicio, ieiunio, eleemosynis,
 „ precibus. Habes tertio, hæc non tantūm expedire,
 „ sed necessaria etiam esse; orare oportet, inquit Cy-
 „ prianus, & impensius rogare, &c. Habes quartò, his
 „ operibus Deum placari; nam & hoc aliquoties repe-
 „ titum est, & proinde non ad solam disciplinam ex-
 „ ternam, & politicam satisfactionem pertinere. Ha-
 „ bes quinto in vltimis verbis, per eiusmodi opera nō
 „ solūm nos veniam, sed etiam coronam promereri.
 „ Habes sextò, non sufficere fidem solam, quando tam
 „ multa alia necessaria sunt. Habes septimò, non de-
 „ bere nos continuò veniam vindicare, etiam si iam
 „ cæperimus non solūm credere, sed etiam timere &
 „ dolere. Habes postremò, sic sub Apostolis fidem vi-
 „ uisse; & propterea mendacium esse Philippi, quòd
 „ ista sint noua, & inaudita ante tempora Petri Lom-
 „ bardi.

XLI. MENDACIVM.

PAG. 180. in Apol. art. 13. *Hic damnamus* (inquit
 Philippus) *totum populum scholasticorum Doctō-*
rum, qui docet, quòd sacramenta non ponēti obicem con-
ferant gratiam, ex opere operato, sine bono motu utentis.
Hæc simpliciter Iudaica opinio est, sentire quòd per ceri-
moniā iustificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fi-
de, & tamen hæc impia & perniciosa opinio, magna au-
thoritate docetur in toto regno Pontificio. Hæc ille. Ex
 ore tuo te iudico serue nequam: Nonne tu dixisti su-
 prà, pa. 154. & 155. *Scholasticos cum de Sacramento pœ-*
nitentiæ disputant, requirere contritionem vel attritio-
nem? & quid aliud est tam contritio, quàm attritio,
 nisi motus cordis? Deinde in ipsa confutatione, arti-
 culo 12. vt etiam in omnibus libris Scholasticorum,
 nonne passim inculcatur, tres esse partes pœnitentiæ,
 contritionem, confessionem, & satisfactionem? Et
 certè contritio, sine fide, spe, & dilectione, id est: sine
 tribus cordis motibus esse non potest.

XLII. MENDACIVM.

PAG. 184. in Apolog. art. 15. *At isti* (inquit Phi-
 lippus) *sentiunt Deum esse placatum, propitium, pro-*
pter traditiones, non propter Christum.

XLIII. MENDACIVM.

PAG. 186. in Apolog. art. 15. sic rursus mentitur
 Philippus. *Docent, inquit, quòd non propter Chri-*
stum gratis iustificemur per fidem, sed per tales cultus.
 Hæc & similia non egent confutatione cum nec ad-
 uersarius vllum pro se testem adducat. Et cōtra eum
 omnes scholæ, omnia templa, omnes libri Catholi-
 corum testentur.

XLIV. MENDACIVM.

Et quidem Tergemurum.

PAG. 186. in Apolog. art. 15. *Has causas habebant*
Patres (inquit Philippus) *rituum seruandorum, vt*
apertè testatur Epiphanius in disputatione contra En-
cratitas, quòd genus simile fuit Monachorum nostrorū.
Fuerunt enim sodalitia, quæ sibi certas traditiones impo-
nebant, abstinebāt à vino, & in ipsa Cœna Domini, nullis
carnibus vescabantur, ne piscium quidem, quæ in re fra-
tres Domini longè superabant; à coniugio verò vel maxi-
mè abhorrebant. Et infrà: *Has obseruationes fingebant*
esse cultum Dei, & iustitiam, propter quam Deo accepti
essent, quæ placarent iram Dei: hæc opinionem improbat
Epiphanius. Hîc tria sunt apertissima mendacia. Pri-
 mum, quòd Monachi nostri similes sint Encratitis,
 dum abstinent à vino, à carnibus, à coniugio. Nam
 Encratitæ abstinebāt, vt à rebus natura sua immun-
 dis, & quæ nulli omnino hominum licitæ essent; &
 hoc damnat Epiphanius. Sic enim scribit hæresi 47.
 „ quæ est Encratarum; Nuptias palàm Diaboli esse
 „ decernūt, animata verò abominantes interdiciunt.
 „ Et infrà: Vtuntur & ipsi mysterijs, per aquam; vino
 „ verò omninò non vtuntur, Diabolicum esse dicen-
 „ tes, & bibentes ac vtentes iniquos esse ac peccato-
 „ res. At quis vnquam Monachorum Catholicorum,
 nuptias Diaboli esse dixit, & non potius vt à Deo in-
 stitutas in cōiugatis Catholicis honorauit? Quis ani-
 matas res abominans interdixit? quis vinū Diaboli-
 cum asseruit? quis illud bibentes iniquos iudicauit?
 Quis non saltè inter mysteria illo vsus est? Quod ve-
 rò etiam tēpore Epiphanijs, Catholicis Monachi, ad
 alios bonos fines, à coniugio abstinerent, & quidam
 eorum à vino, quidam à carnibus, luprà ostendimus,
 ex compendiaria doctrina eiusdem Epiphanijs. Alter-
 rum mendacium est, quòd Encratitæ abstinerent à
 coniugio, carnibus & vino, propter cultum Dei, ex-
 stimantes se eo modo Deum placaturos. Nam non
 meminit Epiphanius eo loco huius finis, id est, cul-
 tus Dei; & clarissimè dicit, eos abstinerere solitos; non
 continentiæ gratia, sed propter timorem, & imaginati-
 onem, vt ne condemnarētur propter animatorum
 efum. Itaque non abstinebant, vt Deū placarent, sed
 ne magis irritarent, cum crederent, res illas immun-
 das esse, & contaminare eos, qui illis vterentur. Ter-
 tium mendaciū est, quòd Epiphanius improbet hæc
 opinionem; quòd abstinentia à coniugio, carnibus
 & vino, sit utilis ad colendum Deum. Nam neq; hoc
 loco talis improbatio cernitur, & alibi apertissimè
 habetur approbatio. Sic enim Epiph. scribit hæc. 48.
 „ quæ est Montanistarum; Pleræque enim sectarum

„ matrimonium contrahere prohibēt, & à cibis ab-
 „ stinere præcipiunt, nō honestæ vitæ gratia exhor-
 „ tantes, non maioris virtutis gratia & præmiorū ac
 „ coronarum; sed abominabilia ea, quæ à Deo facta
 „ sunt, putātes. At verò sancta Ecclesia, & virginita-
 „ tem glorificat, & solitudinem, ac castitatē laudat,
 „ & nuptias pudicas honorat, & suscipit: Scortatio-
 „ nem verò & adulteriū, ac petulantia interdicit. Et
 „ infrā: Etenim cum moderatione quadā, Deus, ver-
 „ bū in Euangelio dixit: Si vis perfectus esse, miseri-
 „ cordiam exhibeas hominum formationi ac debili-
 „ tati. Et gaudet quidem his, qui approbatū Dei cul-
 „ tum præstare possunt, & virginitatē ac castitatem,
 „ & continentiam exercere deligunt. Verū vnas nup-
 „ tias honorat, etiam si maximè sacerdotij dona per
 „ eos, qui ab vnīs etiam nuptijs se continuerunt, &
 „ in virginitate vitam degunt, se ornasse præ expres-
 „ sit: velut etiam Apostoli ipsius, Ecclesiasticā sacer-
 „ dotij regulā ordinatē ac sanctē cōstituerunt. Quid
 „ hīc dicis, Philippe? Nonne audis ab Epiphano cōti-
 „ nentiam ab vxore, à vino & carnibus debere suscipi,
 „ gratia maioris virtutis & præmiorū ac coronarum?
 „ Item virginitatem cultū esse à Deo approbatum, &
 „ illi gratissimum? Denique sacerdotum cōtinentiam,
 „ etiam ab vna vxore, sancitam ab Apostolis fuisse?

XLV. MENDACIVM.

PAG. 188. in Apolog. art. 15. *Exstant* (inquit Phi-
 lippus) *immensi libri, imò bibliotheca tota nullā syl-
 labam de Christo, de fide in Christum, de bonis operibus
 sue cuiusque vocationis continentes, sed tantum colligen-
 tes iraditiones.* Si tu omnes bibliothecas adijisti, &
 omnes libros legisti, cur non indicas nobis, vel v-
 num auctorem Ecclesiasticum, qui de Christo & fi-
 de non loquatur?

XLVI. MENDACIVM.

PAG. 190. in Apolog. art. 15. *Apud aduersarios* (in-
 quit Philippus) *nulla prorsus est xpi in puerorū.*
 Quam impudens hoc mendacium sit testantur in-
 numerabiles Catechismi, qui à nostris editi sunt;
 nec vnquam defuit in Ecclesia puerilis institutio; sed
 stultum est respondere homini nihil probanti, & ad
 mentiendum proiectissimo.

XLVII. MENDACIVM.

PAG. 194. in Apol. art. 16. *Vanissimum est* (inquit
 Philippus) *quod sit perfectio Christiana, non tenere
 propriū.* Et infrā: *Sed Monachi illā externam hypocri-
 sim offuderunt oculis hominū, ne videri possēt, in quibus
 rebus sit vera perfectio: quibus laudibus vixerunt cōmu-
 nionem rerū quasi Euangelicā? At he laudes plurimum
 habent periculi præsertim cū longē dissentiant à Scriptu-
 ris.* Benè autem Philippus fecisset, si ad probandum,
 laudes vitæ cōmunis dissentire à Scripturis, attulisset
 in mediū verba illa B. Lucæ; (solet enim ipse ple-
 rumque, vt est insignis Dialecticus, ita connectere
 „ argumenta) Multitudinis autem credentium, erat
 „ cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum quæ
 „ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erāt illis
 „ omnia communia. Et paulò post: Et gratia magna
 „ erat in omnibus illis, neq; enim quisquā egens erat
 „ inter illos. Quotquot enim possessores agrorū aut
 „ domorū erant, vendētes afferebant pretia eorum,
 „ quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolo-
 „ rum. Diuidēbatur autē singulis, prout cuiq; opus

A „ erat. Act. 4. Potuisset quoque Augustini com-
 mentarium adijcere, vt magis cōmunicet sententiā
 suam. Is enim in ser. 1. de Comuni clericorum vita,
 „ sic habet: Ecce dico, audite; Qui societatem com-
 „ munis vitæ iam susceptā, quæ laudatur in Actibus
 „ Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à profes-
 „ sione sancta cadit. Et infrā: Ego scio quantum mali
 „ sit, profiteri sanctum aliquid, nec implere, Vouete,
 „ inquit & reddite Domino Deo vestro. Ac breui-
 „ ter, si quis legat duos illos Augustini sermones, mi-
 „ rum si non videat Philippi vanitatem.

XLVIII. MENDACIVM.

PAG. 195. in Apolog. art. 18. *sed quid interest,* (in-
 quit Philippus) *inter Pelagianos, & aduersarios
 nostros? cū vtriq; sentiāt homines sine spiritu sancto posse
 Deum diligere, & præcepta Dei facere, quo ad substantiā
 actuum, mereri gratiam ac iustificationem operibus, qua
 ratio per se efficit sine spiritu sancto? Vis audire, quantū
 inter sit inter nos & Pelagianos? quantū inter Catho-
 licos & hæreticos. Neque Pelagianus error est, pos-
 se hominem aliqua præcepta, & aliquando facere
 quoad substantiam actuum, solis naturæ viribus, id
 est, sine speciali auxilio gratiæ Dei. Nam hoc idem
 & tu doces; nisi tecum fortasse pugnas, in eadem pa-
 gina. Hæc enim sunt verba tua: *Habet humana volun-
 tas libertatem in operibus, & rebus deligendis, quas ratio
 per se comprehendit: potest aliquo modo efficere iustitiam
 ciuilem, seu iustitiam operum, potest loqui de Deo exhibere
 Deo certum cultum externo opere, obedire magistrati-
 bus, parentibus in opere externo eligendo, potest continere
 manus à cade, ab adulterio, à furto.* Hæc tua, etiam no-
 stra sunt: Et hoc vocamus implere quædā præcepta,
 quoad substantiam actuum. Porro diligere Deum super
 omnia sine Spiritu sancto, tribuit homini fortas-
 se vnus aut alter Scholasticorū, sed grauiores repu-
 gnant, vt S. Thomas, S. Bonauentura, & alij. Quod
 autem opera sine Spiritu sancto facta, mereatur gra-
 tiam & iustificationem, nullus Theologorum doc-
 et, tuum est mendacium, tua calumnia.*

XLIX. MENDACIVM.

PAG. 198. in Apolog. art. 20. *Non est ferenda* (in-
 quit Philippus) *blasphemia, tribuere honorē Chri-
 sti nostris operibus. Nihil pudet iam istos Theologos, si ta-
 lem sententiam in Ecclesia audent ferre.* At, bone vir,
 non id habet confutatio Theologorum, quod tu re-
 prendis. Nec enim vsquam dicunt Theologi illi,
 opera sine Christo mereri remissionem peccatorum.
 Sed negant, quod vos docetis, opera nostra, licet ex
 fide, licet ex gratia, licet ex Christi meritis prodeant
 nihil tamen mereri. Itaque confutato dicit, opera
 nostra mereri remissionem peccatorum, hunc habet
 sensum, quod opera pœnitentiæ cum fide, & auxilio
 Dei facta, mereantur ex congruo, siue per modum
 dispositionis, culpæ remissionem, quam esse vocem
 Scripturarum & Patrum, suprā docuimus Mendacio
 VIII. Opera verò hominis iustificati, facta ex
 gratia, per Christi meritum nobis infusa, mereantur
 ex condigno remissionem pœnæ, quæ interdum re-
 linquitur, culpa dimissa. Nam, vt ait August. Tra-
 ctat. 124. in Ioan. Productior est pœna, quam culpa,
 ne parua putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœ-
 na. Nec solum pœnæ remissionem, sed & coronam
 gloriæ mereri nostras satisfactiones, paulò antè ex
 Cypriano audiimus, in serm. de lapsis, in postremis
 verbis.

L. MENDACIVM.

PAG. 200. in Apolog. art. 21. *Nec vident isti Asini,* (inquit humanissimus Philippus) *apud Hieronymum contra Vigilantium, nullam exstare syllabam de inuocatione. Loquitur de honoribus Sanctorum, non de inuocatione.* At quænam est ista consequentia; Loquitur Hieronymus de honoribus Sactorum; Ergo non de inuocatione? Videlicet inuocatio non est honor, sed ignominia. Et idcirco nullum præter Christum, inuocari vultis, ne decus Christo proprium, cum alijs communicetur. Audi igitur; Vigilantius volebat Sactos honorari; & quoniam non ignorabat, præcipuum Sactorum honorem, esse ipsorum inuocationem, duabus rationibus ostendit, non eos debere ab hominibus inuocari, tum, quia abditis receptaculis inclusi, non possent ubi vellent esse præfentes, & se inuocantibus per se opem ferre; tum etiam, quia nec posset vllus post mortem, pro alio apud Deum aliquid impetrare, & proinde superuacanea esset inuocatio. Vtramque rationem Hieronymus refellit. Ais, inquit, vel in sinu Abraham, vel in loco refrigerij vel subter aram Dei, animas Apostolorum & Martyrum confedisse, nec posse suis tumulis (ubi videlicet à fidelibus præcipue inuocantur) & ubi voluerint adesse præfentes. Senatoriæ videlicet dignitatibus sunt, vt non inter homicidas teterimo carcere, sed in libera honestaque custodia recludantur. Tu Deo leges pones? Tu Apostolis vincula iniicies, &c. Et infra: Dicit, inquit, quod dum viuimus, multò pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio. Si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris; quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Cum ergo Hieronymus Vigilantij argumenta refellat, quibus ille Sactorum honoribus inuidens, inuocationem eorum oppugnabat; verè stupidi, ac fermè asini essemus, si non inde colligeremus, inuocationem Sactorum ab Hieronymo approbari.

LI. MENDACIVM.

PAG. 200. in Apol. art. 21. *Neque reliqui veteres Scriptores* (inquit Philippus) *ante Gregorium fecerunt mentionem inuocationis.* Non te pudet tantum Magistrum in Israël, aut nihil in veteribus legisse, aut tam impudenter mentiri? Proferam igitur viginti quatuor Patres, Gregorio antiquiores, qui instar viginti quatuor seniorum de Apocalypsi testimonium dicant pro inuocatione Sactorum. Vide Dionys. Areopag. libro de Ecclesiastica hierarchia, ca. 6. Iren. li. 5. Euseb. l. 13. de præpar. Euangel. c. 7. Athan. Serm. in Euangelium de S. Deipara. Basilium oratione in quadraginta Martyres; item in Psal. 33. Nazianzenum oratione in Cyprianum; item in Athanasium. Nyssemum oratione in S. Theodorum. Cyrillum Catechesi 5. Mytagogica. Ephræm. Serm. de laudibus Martyrum. Chryf. hom. 66. ad populum Antiochenum. Item hom. 43. in Genesim; hom. 8. in Matthæum. homil. 1. in priorem ad Thessalonicenses. Theodoretum li. 8. de curandis Græcorum affectionibus. Et in historia religiosa, ad finem singularem vitarum. Hilarium in Psal. 124. & in Psal. 129. Ambrosium lib. 10. in Lucam, cap. 21. Et in lib. de viduis. Hieron. in Epitaphio Paulæ. Ruffinum li. 2. histor. Eccles. ca. 33. Prudentium in Hymno de sancto Cassiano; item de sancto Hippolyto, item de sancto Laurentio. Paulinum Nolansem, Epist. 12. ad Seuerum. Gaudentium Brixensem, tractatu in dedicatio-

A ne Basilic. Cõcilij Sactorum. Seuerum Sulpitium, Epist. ad Aurelium Diaconum & Epist. ad Bassulam Socrum. Maximum Taurinensem, Serm. de sancta Agnete. Aug. libr. de cura pro mortuis c. 4. & Serm. 17. de verbis Apostoli. Leonem primum, Serm. 5. de Epiphania. Victorem Vticensem, lib. 3. de persecutione Vandalica. Fulgẽtium Ruspensem, Serm. de laudibus Beata MARIÆ. His accedit Cõcilium Chalcedonenfe, 630. Patrum, & alia quæ suprà citauimus, Mendacio X.

LII. MENDACIVM.

B **P**AG. 201. in Apolog. art. 21. *Triplex honos* (inquit) *probandus est. Primus est gratiarum actio. Secundus confirmatio fidei nostræ. Tertius imitatio fidei & cæterarum virtutum. Hos veros honores non requirunt aduersarij.* At ubi legisti, vel à quo audiisti, nos non requirere hos honores?

LIII. MENDACIVM.

C **P**AG. 220. in Apolog. pro coniugio sacerdotum. *Vituperabant Monachi,* (inquit) *coniugium, tanquam vita genus, quod vix vnquam Deo placeret, aut certe non placeret, nisi propter procreationem.* At omnes Monachi, qui commentaria in Magistrum scripserunt, agnoscunt tria bona, propter quæ Matrimonium Deo placeat fidem, prolem, & sacramentum. Vide lib. 4. Sent. dist. 31.

LIIII. MENDACIVM.

PAG. 223. in Apologia, pro coniugio sacerdotum, Philippus sic argumentatur. *Iouiniani tempore nondum norat mundus legem de perpetuo cœlibatu. Impudens igitur mendacium est, coniugium sacerdotum, Iouiniani hæresim esse.*

D Vtrum Philippus mentiatur necne, iudex sit beatus Hieronymus. Is igitur in lib. contra Vigilantium, sic ait: Quomodo Euphorb. in Pythagora renatus esse perhibetur, sic in isto Iouiniani mens praua surrexit: vt in illo, & in hoc, diaboli respondere cogamur insidijs. Romanæ Ecclesiæ auctoritate damnatus inter phasides aues & carnes fuillas, non tam emisit spiritum, quam eructauit: iste caupo Callagurritanus, & in peruersum propter nomen viculi mutus Quintilianus, miscet aquam vino; & de artificio pristino, suæ venena perfidia Catholicæ fidei sociare conatur impugnare virginitatem, odisse pudicitiam, in conuiuio secularium contra Sactorum ieiunia proclamare. Pro nefas, Episcopos sui sceleris dicitur habere consortes; Si tamen Episcopi nominandi sunt, qui non ordinant Diaconos, nisi prius vxores duxerint; nulli cœlibi credentes pudicitiam, immò ostendentes, quàm sanctè viuant, qui malè de omnibus suspicantur. Et nisi prægnantes vxores viderint clericorum, infantè que de vlnis matrum vagientes, Christi sacramenta non tribuunt. Quid facient Orientis Ecclesiæ? quid Egypti & sedis Apostolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continent, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt. Hoc docuit Dormitantius, libidini frena permittens, &c. Si igitur Hieronymo teste Vigilantij hæresis ac Iouiniani, vna atque eadem sententia fuit, aded vt in Vigilatio Iouinianus renixisse dicatur, mentitur Philippus, cum ait non fuisse hæresim Iouiniani oppositam continentiæ sacerdotum. Quod verò mendacium etiam sit, Iouiniani tempo-

re mundo notam non fuisse legem perpetui cœlibatus, satis constat ex ijs, quæ suprà diximus, Mēdacio XIV. necnon ex hoc ipso Hieronymi testimonio, & ex Augustino in libro de hæresibus, cap. 82. vbi legimus, qualdam sacras virgines, prouectæ iam ætatis, Ioviniano auctore, nuptias contraxisse. Quod certè D. Augustinus non reprehendisset, si virginitas consecrata Deo, votum perpetui cœlibatus non complecteretur, aut hoc votum illo tempore notum mundo non fuisset.

LV. MENDACIVM.

PAG. 226. in Apologia, de Missa: *Hic causse status est* (inquit Philippus) *de quo ita nobis monendi sunt lectores, ut Asebinus admonerat iudices, ne sinerent aduersarium extra causam egredi. Nos in Confessione nostra ostendimus nos sentire quod Cœna Domini non conferat gratiam ex opere operato, nec applicata pro alijs, viuis aut mortuis, mereatur eis ex opere operato remissionem culpe aut pœna.*

At mira ista peruersitas est, alios arguere eius peccati quod ipse committit. Non enim iste est causse status, An Missa mereatur gratiam, & iustificet ex opere operato. Si enim iste status esset, caussa finita esset. Quæstio verò præcipua in eo consistit, An Missa sit verum, & propriè dictum Sacrificium, quod omnes Lutherani negant, & Catholici omnes affirmant.

LVI. MENDACIVM.

PAG. 233. in Apologia, de Missa: *Sed aduersarij* (inquit) *vbi que sacrificij nomen ad solam carimoniam detorquent: prædicationem Euangelij, fidem, inuocationem, & similia omittunt; cum carimonia propter hæc insiuita sit.* Fatemur quidè sacrificium propriè dictum, nec prædicationem Euangelij, nec inuocationem significare, sed oblationem corporis Christi, cum mystica carimonia à sacerdote facta; sed quod non sit apud nos Euangelij prædicatio, nec inuocatio, nimis impudens mendacium est, cum in ipsa celebratione sacrificij legatur Euangelium & sæpe etiam exponatur, & multæ preces fundantur pro sacerdotibus, pro regibus, pro populo.

LVII. MENDACIVM.

PAG. 236. in Apolog. de Missa: *De fide* (inquit) *quæ gratis consequimur remissionem peccatorum, nulla prorsus fiebat ab aduersarijs mētio; De exercitijs fidei Lutheranis cum desperatione, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, omnes libri, omnes conciones aduersariorum mutæ erāt.* Magnus & mirabilis vir fuit Philippus, qui omnes libros legit, omnes conciones audiuit, etiam si varijs in locis eodem tempore, aut varijs temporibus eodem loco haberentur: Et quod mirabilius est, etiam illas conciones audiuit, quæ prius factæ sunt, quàm ipse nasceretur, alioqui, vnde nouit, de gratuita remissione peccatorum propter Christum omnes conciones mutas fuisse?

LVIII. MENDACIVM.

PAG. 239. in Apol. de Missa: *Transferunt* (inquit) *Missam ad mortuos, & liberant animas applicatione Sacramenti, à pœnis purgatorij; cum sine fide nec viuis Missa proficit. Neque ex Scripturis, vel vnam syllabam afferre possunt, ad defensionem istarum fabularum, quas in Ecclesia magna auctoritate docent; neque Ecclesie veteris, neque Patrum testimonia habent.* Duo sunt hic

A mendacia. Vnum, quod applicatione Sacramenti liberari dicamus animas à pœnis purgatorij. Nemo enim Catholicorum hoc docet; sed quod de sacrificio dicimus, imperitè aut callidè transfert Philippus ad Sacramentum. Alterum mendaciū est, quod non habeamus testimonia veteris Ecclesiæ, quod Missa proficit etiam defunctis. Tot enim habemus testimonia, vt planè aduersarios obruere possimus. Concil. Carthaginense I V. Can. 79. iubet commendari defunctos orationibus, & oblationibus. Cōcil. Vvormatiense Can. 10. iubet etiam pro suspensis orari, & sacrificari. Similia passim in Concilijs leguntur. Tertullianus li. de Monogamia: Pro anima, inquit, eius, oret, & offerat annuis diebus dormitionis eius, Cyprian. li. 1. Epist. 9. Non est, inquit, quod pro dormitione eius apud nos fiat oblatio, aut deprecatio. Ambros. li. 2. Epist. 8. Itaque, inquit, non tam deplorandam quàm prosequendā orationibus reor, nec mortificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam. Cyrillus Catechesi 5. Mystagoga: Maximū, inquit, credentes esse animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi sacrificij. Chrysost. hom. 69. ad pop. Antioch. Non temerè hæc ab Apostolis sancita fuerunt, vt in tremendis mysterijs defunctorum agatur memoria. Omitto cæteros.

LIX. MENDACIVM.

PAG. 247. in Apolog. de Missa: *Falsò* (inquit Philippus) *citant aduersarij contra nos damnationem Aërij, quem dicunt propterea damnatum esse, quod negauerit in Missa oblationem fieri pro viuis, & mortuis.*

Quæstio nostra cum Lutheranis est, an Missa proficit mortuis, nam quod viuis proficit, nemo negat. Porro August. lib. de hæresibus, c. 53. inter dogmata propria Aërij etiam illud numerat. Orare, vel offerre mortuis oblationem, non oportere. At hoc idem omnes Lutherani dicunt.

LX. MENDACIVM.

IBIDEM, sic ait Philippus: *Epiphanius testatur Aërium sensisse, quod orationes pro mortuis sint inutiles, id reprehendit, neque nos Aërio patrocinamur.* Siverum loquitur Philippus, mentitur altera pars Concordiæ, cui ferè concordant omnes Lutherani. Nam pag. 381. *Purgatorium animarum, mera diaboli larua esse definitur.* At si nullum est purgatorium animarum, inutiles sunt orationes pro mortuis; vt volebat Aërius, nisi fortè velit Philippus, pro animabus beatis, aut damnatis orādum esse. Adde quod Epiphanius, hæresi 75. quæ est Aërij, refert etiam alium eiusdem errorem, & quidem ipsius verbis; Sed neque ieiunium, inquit, erit ordinatum; *Hæc enim Iudaica sunt, & sub iugo seruitutis. In isto enim lex non est posita, sed patricidis ac matricidis, & reliquis. Si verò omnino vole ieiunare, qualescunque eligam diem, à me ipso, & ieiunabo propter libertatem.* Et infra: In diebus autem Paschatis (quos nos vocamus maiorem siue sanctam hebdomadam) quando apud nos fiunt humi dormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ac ieiunia, & omnes animarum salutes, per sanctas afflictiones; ipsi à summo mane obsonantur, carneque ac vino venas suas explentes, cachinnantur, ridentes ac subsannantes eos, qui sanctum hunc cultum hebdomadis Paschatis perficiunt. Quæso te, Philippe, an non & vo

hoc idē facitis, & docetis? Magisingenuē Matthias Illyricus facit, qui Cent. 4. cap. 5. col. 401. agnoscit Aërij dogmata fuisse, non orandum, nec offerendum pro mortuis, nec stata ieiunia seruanda; & quia horum similia docuit Lutherus, mauult Epiphanium & Augustinum hæreticos facere, quàm Aërium.

LXI. MENDACIVM.

PAG. 253. in Apologia de votis monasticis, *Obedientia, paupertas, & cœlibatus* (inquit Philippus) *exercitia sunt ἀδράοεγ. Ideoque sancti viri eis sine impietate possunt, sicut vsi sunt, Bernardus, Franciscus, & alij sancti viri; Et hi sunt propter utilitatem corporalem, ut expeditiores essent ad docendum.* Scilicet, magna utilitas corporalis erat S. Francisko, nudis pedibus ambulare, vna sola tunica eaque cilicina, & asperissima cooperiri, humi cubare, pane solo & aqua vt plurimum viuere, tres noctes vigilare. Deinde quid dicemus de S. Antonio, S. Hilarione, S. Paulo I. Eremita, imò de tot millibus sanctorum Anachoretarum, qui non fungebantur docendi officio; & tamen vitam pauperrimam & seuerissimam, in perpetuo cœlibatu, & sub obedientiæ iugo ducebant? Porro S. Bernardus non solum vilissimis panis, & cibarijs aridissimis utebatur, sed etiam Serm. 30. in Cantica diligenter monuit, non esse Monachi sed medici, corporis utilitatem, & bonam valetudinem curare: Monachi verò esse spiritus utilitatem quærere, & carnem crucifigere, atque in ea re Dominum & Saluatorem imitari.

LXII. MENDACIVM.

PAG. 255. in Apologia: *Nemo nescit* (inquit Philippus) *monasticam vitam recens excogitatam esse.* Omitto quod Patres ad Apostolos referunt, vt Euseb. lib. 2. hist. ca. 16. Epiph. hæref. 29. quæ est Nazærorum, Hieron. 1. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Philone. Ioan. Cassianus, lib. 2. de institutis Cœnobiorum, cap. 5. & Collat. 18. cap. 5. August. Serm. 2. de communi vita clericorum. Possidonius in vita S. August. Sozomenus lib. 1. hist. cap. 12. Et Nicephorus lib. 2. cap. 15. Certè Magdeburgenses Cent. 4. cap. 6. col. 464. anno 300. à Saluatoris aduentu ponunt initium Monastices. Quod si contendunt, Monachos huius temporis, non esse illis similes qui erant tempore Antonij, Hilarionis, Augustini; tamen non negant, nec possunt negare, quin saltem Monachatus qui nunc est, à tempore S. Benedicti initium sumpserit, id enim Lutherani omnes admittunt, cum videant adhuc extare, & seruari regulas ab ipso conditas, & habitari Monasteria, quæ ille fundauit. S. autem Benedictus ante 1000. annos floruit. Nisi ergo apud Philippum mille anni sint, sicut dies vnus, vt Scripturæ loquuntur de temporibus cum Dei æternitate collatis, viderit ipse, quàm sit verum vitam monasticam recens excogitatam.

Hic Libellus tam fabre aperit mendacia, renellit errores Concordiæ Lutherana, vt nihil possit esse aut enucleatius aut neruosius in hoc genere; Nam animus fuit Auctori, stringere rem, non explicare, sed stringere ea arte, vt Lutherani alioqui plumbei facillè tangant se tangi, aut potius euerti.

Censui ROBERTVS TURNERVS Sacræ Theologiæ Doctor, atque INGOLSTADII Professor, & pro tempore eiusdem facultatis DECANVS.

LXIII. MENDACIVM.

PAG. 158. in Apologia, de votis monasticis: *Desertio facultatum* (inquit Philippus) *non habet mandatum aut consilium in scripturis. Nā Evangelica paupertas, non est desertio rerum, sed non esse auarum, &c.* De hoc mendacio tot Sanctorum exemplum. Omnes enim illi veteres Monachi, qui tantoperè celebrantur à Patribus, verba Domini, Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, &c. de rerum desertione intellexerunt.

LXIV. MENDACIVM.

PAG. 259. in Apologia, de votis monasticis, *sancti* (inquit Philippus) *in locum Christi subrogantur, & impiè coluntur.* Longè aliud ostendunt Litanæ, aliæque preces Catholicorum. Christo enim, vt Deo ac Domino dicimus *Κύριε Ἐλεησον*, Christe eleyson, Sanctis verò, Sancta MARIA, ora pro nobis, Sancte Petre, ora pro nobis. Sed antiqua ista calumnia est; quod enim Lutherani nunc dicunt, dixerūt olim Ethnici, Iudæi, hæretici, vt patet ex historia Eusebij, lib. 4. ca. 15. Et lib. 8. cap. 5. Ex Cyrillo lib. 6. & 10. in Iulianum. Ex Hieronymo libro cōtra Vigilantium. Et ex Augustino libro 20. contra Faustum, cap. 21.

LXV. MENDACIVM.

PAG. 263. in Apologia, de potestate Ecclesiastica: *Suas traditiones*, inquit Philippus, *longè accuratius seruari postulant, quàm Euangelium.* Hoc de Episcopis Ecclesiæ generatim dictum, apertissimum mendacium est.

LXVI. MENDACIVM.

PAG. 267. ibidem, *Libri aduersariorum*, inquit, *nusquam fidei mentionem faciunt, cum de remissione peccatorum loquuntur. Nusquam docet de dignitate rerum ciuiliū, nusquam docent quomodo Euāgelium tradat iustitiam æternam.* Et hæc mendacia toties repetuntur in hac Apologia, vt mirum sit, quomodo non ipsi Auctori nauream fecerint.

LXVII. MENDACIVM.

PAG. 268. ibidem, *Cultus Sanctorum*, inquit, *plenus est apud eos manifesta idololatria.* At nos corde sentimus & voce asserimus, Sanctos non esse Deos, sed creaturas eximias. Nec illis vt Dijs sacrificamus, vt etiam Diuus Augustinus docet, libro 22. de Ciuitate Dei, capite decimo. Nec inuocamus, vt gratiam vel gloriam largiantur; sed vt eam nobis à Deo precibus suis obtineant. Nec denique illabi eos animis, & corda scrutari existimamus, vt Aduersarij nos credere mentiuntur; Sed DEO reuelante atque ostendente, quid nos petamus, cognoscere eos posse docemus.

B R E V I S A P O L O G I A

R O B E R T I B E L L A R M I N I ,

Pro Libello suo de Libro CONCORDIÆ Lutheranorum.



V M ante multos annos liber Concordiæ Lutheranorum in Saxonia prodijisset: petijt à me vir quidam grauiſſimus, atq; doctiſſimus, & qui mihi iure ſuo imperare poterat vt ei per litteras ſignificarem quid mihi de ea concordia videretur. Perlegi continuo librũ, quem idem ipſe ad me miſerat, & ſententiam meam de eo libro pauciſſimis verbis, id eſt, breuiſſimo libello comprehendij. Peruenit iſ meus libellus, neſcio quomodo, ad manus Davidi Sartorij, egregij ſanè Typographi, qui tunc Ingolſtadij Catholicis libris excudendis magna cum laude operã dabat. Iſ verò per amicum quendam meum à me quaſiuit moleſtè ne eſſem laturus, ſi iſ libellus typis ipſius emitteretur in lucem: reſpondi, quod reſerat, me non eo animo libellum confeciſſe, vt ederetur, ſed vt ei parerem, qui mihi onus illud impoſuerat: tamen ſi Theologi Ingolſtadienſis opuſculum illud vt liter edij poſſe iudicarent, me non repugnare quo minus id fieret. Ita libellus in lucem editus eſt, qui quoniam viſus eſt non leuiter aduerſarios pupugiſſe, iterum iuſſu clariffimæ memoriæ S T E P H A N I Regiſ Poloniæ potentiſſimi, typis mandatus eſt: nec multo poſt in linguam Germanicam paraphraſticè conuerſus, & auctus, ita Miniſtrorum noui Euangelij bilem accendit, vt dignus viſus ſit qui ab vniuerſa Academia Vvittembergẽſium Theologorum coniunctis armis, & quaſi agmine facto opprimeretur. Sed libellus ipſe, vt audio, viuithaduc, imò ne guttam quidẽ cruoris emiſit, ſed clypeo veritatis armatus canit cum Propheeta, *Sagittæ paruulorum facta ſunt plagæ eorum.* Et certè ſi Auctori ipſius vacaret in eiufmodi nugis tempus conſumere, poſſet decem diebus decem alios ſimiles libellos emittere de vanitate, erroribus, & mendacijs huius Refutationis. Ac vt rem ita ſe habere demonſtretem, pauca quædam exempli gratia proferam. Totum enim librum aduerſariorum reſellere non eſſe operæ precij, niſi quem iuuet bonas horas malè perdere, ex his paucis quæ dicemus lector intelliget. In prima parte libelli notaueram vanitatem eorum, qui vt concordiam in doctrina maximam eſſe apud Lutheranos oſtenderent, coegerant ad ſubſcribendum dogmatibus fidei turbam Ludi magiſtrorum, Hypodidactalorum, & ſimilium qui neque auctoritate, neque ſcientia pollēt, vt de dogmatibus præſertim cõtrouerſis iudicare poſſint. atq; addidi, nullum exemplum eiufmodi ſubſcriptionũ in negotio fidei poſſe ab antiquitate peti, cum ab Apoſtolicis temporibus per mille quingentos annos Concilijs tum Generalibus tũ Nationalibus, vel Prouincialibus ſoli Prælati, qui iuriſdictionem habent, ſubſcribere conſueuerint. Ad hoc reſpondent Theologi Vvittembergẽſes, his verbis: *Non latet nos Deo laus, quæ ratio in Conciliorum ſubſcriptionibus obſeruata fuerit, quæ etiam in noſtris conuentibus antè hac multoſies ſecuti ſumus, vt ſi quid de religione ſcripto commendaretur, præcipui tantum Theologi ſubſcriberent: quemadmodũ in Smalchaldicis articulis videre licet. Quod autem etiam vulgariter nec ita excellenter docti Miniſtri ſubſcriperunt; in ſcripto publico omitti id bene poterat, niſi Electores, & Principes ad hoc coegiſſent impudentes veſtra calumnie, quas contra ipſorum Theologos & Miniſtros in publicâ Con-*

A *ſeſſionis Auguſtane cõtumeliã publicis typis euomuiſtis. Meminiſſe autem Teſuita debebant, qualibus emẽtitiſ titulũ Tridentini Cõciliij Episcopũ ſuperbiuerint, vt homines in ſui admirationẽ raperent, cui ſe Episcopos, & Patriarchas iactarũt neſcio quorũ locorũ, in qua nemo illorum unquã peruenit, neque ex illis regionibus quiſquam Eccleſiaſticus ad Concilium Tridentinum miſſus erat.*

Hæc reſpõſio ſatis indicat, eos nihil ſolidi habuiſſe quo vanitatem illam à nobis notatam purgare poſſent. Primum enim non eis obiecimur, quod antiquis Concilijs ſoli Theologi præſtantes ſubſcribere conſueuerint, ſed quod ſoli Prælati, qui iuriſdictionem habent, id eſt, Episcopũ. Itaque cum dicũt, non latere ſe, quæ ratio ſeruata ſit in antiquis Concilijs, & eam à ſe quoque ſeruatam in ſuis conuentibus, vbi præcipui Theologi tantum ſubſcriperunt; vel falſò dicunt non latere ſe formam veterum Conciliorum, vel mentiuntur cùm affirmant, eam à ſe in conuentibus ſuis eſſe ſeruatam. In veteribus enim Concilijs veros Episcopos, non autem Theologos quoscuque; in conuentibus autem Lutheranorum nullum verum Episcopum, ſed Theologos neſcio quos ſubſcripiſſe non dubium eſt.

Deinde cum addunt, omitti potuiſſe nomina Miniſtrorũ vulgariter tantum, & non excellẽter eruditorũ niſi coegiſſent eos noſtræ calumniæ, quibus eis exprobrare ſolemus, quòd nulla ſit inter Miniſtros eorũ concordia: nihil omnino dicunt, quod ad rẽ faciat. Nos enim cum illis obijcimus, quod in grauiſſimis dogmatibus inter ſe non cõueniant, non loquimur de turba imperitorum, quam ſcimus facile duci ab ijs, quos opinione doctrinæ ſuſpiciũt: ſed de viris doctis, vel certè qui docti haberi volunt. Scimus autem nõ ſolum in tota Germania inter varias Lutheranorum ſectas, ſed in ipſa Saxonia, atque inter eos, qui propriè Lutheranĩ dici volunt, diſſentiones eſſe grauiſſimas, vt vel ex Colloquio Altemburgenſi cognofci potuit, vbi ex ipſa Saxonia duodecim viri delecti ad componẽda diſſidia de religione, non ſolum grauiſſimos errores alij alijs obiecerunt, ſed etiam inde abſque vlla ſpe cõcordiæ diſceſſerunt. Ad hanc igitur notam tantæ inter eos diſſenſionis eluendam, nihil omnino prodeſt ſubſcriptio tot milliũ vilium perſonarum. Quid enim mirum, ſi ex vna factione ſex tantũ viri (tot enim fuerunt auctores libri Concordiæ) inter ſe cõueniant, & octo millia imperitorum, ſibi que ſubiectorũ ad ſubſcribendum cogant? Certè in Eccleſia Catholica definitionibus Tridentini Concilij omnes omnino qui Catholici haberi volũt, ſiue docti, ſiue indocti, ſiue Principes, ſiue priuati, ſiue Itali, ſiue Galli, ſiue Hiſpani, ſiue Germani, ſiue Angli, ſiue Poloni, ſiue cuiuſcuque regionis ſint ſententiam ſuam, iudicium que ſubiiciunt.

E Quod poſtremò adiungunt de Patribus Tridentini Concilij, quod nõquam viderint ea loca; quorum titulos præſertim, inter ſplendida mendacia numerari poteſt. Exſtat enim Concilium, extant nomina & tituli ſingulorum Episcoporum; atque inter trecentos fermè Episcopos, variorum nationum, neſcio an tres, vel quatuor inueniri poſſint, quorum Eccleſiæ in ijs locis ſitæ ſint, vbi Episcopũ tutum aditum habere non poſſunt.

In altera parte mei libelli reprehendi ſex errores grauiſſimos contra Symbolum Apoſtolicum, quos

in libro Concordiæ Aduersarij posuerunt. Ita verò ipsi in sua Refutatione respōdent, vt errores erroribus addant, & eam imperitiam rerum Theologicarum præ se ferant, vt indociles omnino videantur.

Exemplum esto in refutatione primi erroris. Primus error à me notatus in eorum libro fuerat, quod Christus non solum vt homo, sed etiam vt Deus Patri fuerit obediens: *Respondent se hanc sententiã libenter agnoscere, nec opus est, inquit, vt Iesuita ex libro Concordiæ, & locis communibus Philippi istius doctrine nos prolixè conuincant: quandoquidem hanc non tantũ constanter profiteamur, sed etiam quoque summam nostram consolationem esse ducamus, quod obedientia qua iusti & beati reputamur, Christo non solum secundum humanitatem, verum etiam secundum Deitatem adscribatur.* Hæc illi. Nec solum admittunt Christum vt Deum, obedisse Patri, sed etiam admittunt B. Virginem Mariam non tantum esse Matrem Dei, quæ est Catholicorum omnium sententia, verũ etiam esse Matrem Christi vt Dei, quod est hætenus apud Christianos inauditum, cum vt infra ostendam, reduplicatio, vt, non suppositum, sed formam reduplicet. *Quemadmodum, inquit, Maria Christi non solum vt hominis, sed etiam vt Dei Mater est, ita quoque Christus non solum vt homo, sed etiam, vt Deus Patri obediens fuit.* Quid est autem, si propriè loqui velimus, B. Mariam esse Matrem Christi, non solum vt hominis, sed etiam vt Dei, nisi Christum à B. Maria diuinitatem habere quemadmodum ab illa humanitatem habet? Quod si Christus à Matre humanitatem & Diuinitatem habet, certè antequam ex Virgine nasceretur, Deus non erat, imò neque aliquid erat, qui est error Ebionis & Photini.

Ex eodem ignorantie fundamentò paulò post adiungunt nõ posse negari, quin Christus vt Deus, fuerit Patri obediens, nisi duæ cum Nestorio affirmentur in Christo esse personæ, vna quæ obediuerit Patri, videlicet persona humana, altera quæ Patri non obediuerit, videlicet filius Dei. Quasi verò nõ possit vna & eadem persona diuina in forma serui, (vt scripturæ verbis vtamur) obedire Patri, in forma Dei cū Patre iubere. Sic enim Apostolus ad Philip. 2. de vna & eadem Christi persona dicit, quod in forma Dei nõ rapinam putauerit, esse se æqualem Deo Patri, in forma serui Patri obediens fuerit vsq; ad mortem, mortem autem Crucis. Et S. Athanasius in Symbolo de eadẽ persona Christi dicit, *Æqualis Patri secundũ Diuinitatẽ, minor Patre secundũ Humanitatem.* Neque aliud est, quod Theologi Catholici dicunt, Christus vnus, & idem, id est, vna & eadem persona, vt Deus, æqualis est Patri, vt homo, minor est Patre: vt Deus fuit ante Matrem, vt homo ex Matre principium habuit.

Sed vterius progrediuntur Aduersarij, & obedientiam filio Dei tribuunt etiam antequã formam serui acciperet, id est, non solũ secundum Deitatem, sed etiam secundum solam Deitatem, quod quemadmodũ ab hæresi Ariana distingui possit, ipsi viderint. Adferunt enim illa verba Domini Ioan. 3. *Non misit Deus filium suum in mundũ vt condemnet mundum sed vt seruetur mũdus per eum.* Sic enim ipsi citant qui vulgatæ atque antiquissimæ editionis rationem nullam habent, ac statim adiungunt; *Si igitur Deus filium suum vniuentum in mundum misit, vt genus humanum seruaret, necesse est hunc filium Dei obediẽtem fuisse Patri, dum in Mundum venit, naturam humanã assumpsit, & in ea nos miseros peccatores redemit. Hinc de filio Dei æterno in Symbolo Nicæno cantatur, Descendit de cælis & incarnatus est de Spiritu sancto, &c.* Hæc illi, ex quibus manifestè colligitur, eos sentire filium Dei etiam antequã esset homo, obediuisse Patri, ac per

A hoc secundũ solam Deitatem. Filius enim Dei cum venit in Mundum, & naturam humanam assumpsit, non erat Deus & homo, sed Deus tantum, nisi quis ita desipiat, vt dicat, Deũ & hominem descendisse de cælo, vt fieret homo. Itaq; Deus Verbum: cum non esset homo, descendit de cælo, vt fieret homo, & ideo, Verbum caro factum est, & ipsa incarnatio descensio fuit. Quod alijs verbis dicit Apostolus Philipp. 2. *Ex inaniuit semetipsum formam serui accipiens.* quod si Deus Verbum cum nõdum esset homo obediuit Patri, vt descenderet & fieret homo, quis non videt, obedientiam, ac per hoc subiectionem tribui Deo Verbo secundum solã diuinitatem; neq; enim secundum humanitatem, quam non habebat obedire poterat. At, inquit, Si Deus filium suum misit in mundum, vt carnem assumeret, quomodo non obediuit filius Patri, dum in mundum, & carnem assumpsit? Hoc ipsum est argumentum Arianorum, qui ex missione colligebant subiectionem; sed respondebant maiores nostri veteribus Arianis & nos respondemus nouis Arianis, mittere non esse iubere, nec mitti semper esse parere. nam dominus quidem seruum iubendo mittit, amicus amicum hortando, inferior superiorem orando mittere potest. Ac certè negare non possunt Aduersarij, Spiritum sanctum mitti à Patre, & Filio: iuxta illud Ioan. 14. *Paraclerus autem, quem mittet Pater in nomine meo, & c. 15. Cum venerit Paraclerus, quem ego mittam vobis à Patre, & tamen Spiritum sanctum obedire Patri, & Filio, vel Patrem, & Filium imperare alicui Spiritui sancto, ne aduersarij quidẽ admittere aui sunt.* Itaq; vera est communis Theologorum sententia, missionem in diuinis non iussionem, non imperium, sed processionem vnus personæ ab alia significare, cū noui effectus connotatione. Sed opere precium erit cognoscere quid Aduersarij ad nostra argumenta respōdeant. Referunt primum hæc nostra verba, Si Christus, vt Deus, Patri obediuit, certè vt Deus à Patre distinguitur. Alius igitur Deus est Pater: alius Deus est filius, sed vnus tantum est verus Deus, & constat Patrem esse verũ Deum, non igitur filius est verus Deus nec *ὁμοῖος* Patri, vt in Nicæno Symbolo confitemur: Respondent deinde his verbis, *Rudes asinos Iesuitas istos esse oportet, quod distinguere nesciunt inter vnitatem Deitatis, & distinctionem inter personas in hac vna Deitate. Nam certè filius à Patre distinctus est, tanquam persona diuina, que ipse Pater non est: & tamen non alius Deus quàm Pater est. At que ita Pater & Filius vnus Deus sunt, licet distincte persone, quarum vna alteri obedit.* Hæc illi. Qui qua modestia præditi sunt, eodem pollent acumine. Nos autem quia scimus vnitatem Deitatis cum sola personarum distinctione credi ab omnibus fidei Catholicæ professoribus, ideo tanquam exploratum errorem notauimus dogma Aduersariorum, ex quo sequitur, Deitatem filij distingui à Deitate Patris, & proinde filium non esse verum Deum, neq; Patri consubstantialiẽ. argumentum verò, quod id sequi demonstrauimus, Aduersarij non soluerunt. quod enim illi exponunt, Christum vt Deus obediuit Patri, idem esse, ac si diceretur, Christus vt persona diuina obediuit Patri, vt alteri personæ diuinæ, nullo modo defendi potest. siquidem illa particula reduplicans, vt, non reduplicat suppositum, sed formam. neq; enim dubium est, omnes actiones esse suppositorum, siue personarum, & idcirco non ponuntur reduplicantes particula ad notandam personam, siue suppositum; sed quia dubium esse potest, secundũ quam formam suppositum agat, quando plures habet formas, ideo per reduplicatẽm particulam significatur ea forma,

secundum quam suppositum agit. Itaq; sicut qui dicit, Petrus vt Musicus canit, vt Medicus curat, vt homo ratiocinatur, significat illam personam, quæ dicitur Petrus secundum scientiam musicam canere, secundum scientiam medicine curare, secundum rationalitatem, vt sic loquamur, ratiocinari; ita qui dicit, Christus vt Deus obedit Patri, significat Christum, qui est persona diuina, obedire Patri secundum Deitatem. Et quoniam qui obedit distinguitur ab eo, cui obedit, sequitur vt Christus, qui obedit Patri secundum Deitatem, distinguitur à Patre secundum Deitatem. Quod si filius distinguitur à Patre secundum Deitatem, euidenter sequitur, vt duæ sint Deitates Patris & Filij, & alius Deus sit Pater, alius Deus sit Filius: quemadmodum ex eo quod Filius distinguitur à Patre secundum personalitatem, rectè colligit omnes Theologi duas esse personalitates Patris & Filij, & aliam personam esse Patrem, aliam personam esse Filium. Hoc igitur est argumentum, quod soluere debuissent Theologi illi Vvitembergenses. Sed vt videtur, argumenti vim non perceperunt, cum tamen tam acuti videri velint, vt eorum comparatione cæteri omnes Asini dici possint.

Nec multò felicius ab altero nostro argumento se expediunt. His enim verbis alterum argumentum nostrum proponunt. *Rursus qui obedit, minor est illo, cui obedit, nã imperare superioris, obedire inferioris est. Ergo si Christus vt Deus Patri obedit; vt Deus, minor est Patre, & mentitur Symbolum Athanasij cum ait; Aequalis Patri secundum Diuinitatem, minor Patre, secundum humanitatem.* Respondent autem hoc modo: *Hæc ratio locum habet in ijs personis quæ non sunt eiusdem dignitatis: vbi hæc imperat, illa necessitate quadam paret etiam inuita, cū Christo autem eiusque obedientia res se aliter habet. Pater enim filio vt Deo non imperauit, vt coactus humanam naturam sumeret: Sed filius Dei sponte, & liberè hoc fecit secundum æternum decretum totius Trinitatis, quocirca etiam Filij Dei obedientia alia est, quàm obedientia subditi erga suum Magistratum.* Nouam hîc audiimus Theologiam, nouam Philosophiam, nouam vocabulorum acceptionem. hætenus enim obedientia virtus fuit, qua subditus superioris sui mandatum implet. Inter personas eiusdem prorsus dignitatis, atq; adeo in omnibus æquales inauditum est esse veri nominis obedientiam, cum par in parem non habeat imperium, vel potestatem. Certè B. Paulus ad Ephes. 6. scribit, *Filij obedite parentibus.* & rursum, *Serui obedite dominis.* Et ad Heb. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiaccete eis.* & ratio horum omnium est; quia Præpositus maior est subdito, dominus maior est seruo, Pater in humanis maior est Filio, quia senior, quia prudentior, quia causa, & S. Augustinus serm. 6. de verbis Domini scribit, obedientiam superioribus esse præstandam, sed illo ordine, vt semper maiores minoribus anteponan- tur, ita vt filij parentibus obediant, quia parentes maiores sunt filijs, sed magis Patriæ, quàm parentibus, quia patria parentibus maior est, & magis Deo, quàm patriæ, quia Deus maior est, quàm patria. sic etiam obediendum docet curatori, sed magis Proconsuli, quàm curatoris; magis Imperatori, quàm Proconsuli, magis Deo, quàm Imperatori. nec difficile esset multa huiusmodi testimonia proferre, nõ solum ex scripturis sanctis, & veteribus Patribus, sed etiam ex Philosophia, alijsq; scriptoribus profanis, apud quos semper obedientiæ, quasi è regione respondet imperium, & obedientia subdito, imperium Principi tribuitur. Neq; rectè Aduersarij obedientiam respondentem imperio non agnoscunt, nisi in ijs, qui parent inuiti, quasi verò non sit illa vera &

A laudabilis obedientia, qua subditus libenter Principi suo paret. Quæ cum ita sint, nisi Aduersarij vocabulis abuti, & obedientiæ nouam definitionem assignare velint, omnino coguntur aut admittere cum Arianis, Christum secundum Diuinitatem esse Patre minorem, si Christum secundum Diuinitatem Patri veram obedientiam exhibuisse contendunt: aut negare debent Christum secundum Diuinitatem Patri obediuisse, si cum Catholicis æqualem Patri filium secundum Diuinitatem esse volunt.

Sed ineptissima præter cæteras est responsio ad argumentum tertium. Sic enim argumentum nostrum tertium ipsi proponunt. *Ad hæc secundum illam naturam Christus obediuit, secundum quam mortuus est; nam ipsa mors obedientia fuit summa, & absolutissima; At non est mortuus Christus secundum Diuinitatem, sed solum secundum carnem: ergo nec secundum Diuinitatem, sed solum secundum humanitatem obediuit Patri.* Respondent his verbis: *Voces x̄, secundum, causam indicant propter quam filio Dei adscribitur quod humanitatis proprium est: & vicissim cur Deitatis propria Homini tribuantur, quia enim non duo, sed vnus duntaxat Christus est, in quo duæ diuersæ natura archèssimè & intimè, vnitæ sunt; idcirco hæ duæ natura, omnes istius personæ operationes, passiones, & gloriam quoque inter se communicant, &c.* Mirum est valde cur non animaduertant ex hac responsione sua non solui, sed confirmari argumentum nostrum, nam si vox x̄, id est, secundum, indicat causam, cui tribuatur filio Dei, quod proprium est humanitatis, & homini Christo, quod proprium est Diuinitatis, certè non licet dicere, filius Dei secundum Diuinitatem mortuus est, sicut non licet dicere, Christus homo secundum humanitatem creauit mundum: sed hoc modo dicendum est: Filius Dei secundum humanitatem mortuus est, & Christus homo secundum Diuinitatem mundum creauit. causa enim cur filio Dei mors tribuatur, non est Diuinitas, sed Humanitas, & causa cur mundi creatio tribuatur homini, non est Humanitas, sed Diuinitas, vt Aduersarij in sequenti pagina consentunt, & res ipsa per se clamat. Quid igitur opus est, vt nos in eorū errore confutando laboremus, cum ipsi tam apertè secum pugnent, & sententiam suam sua responsione confutent? Quod verò paulò post addunt, nos cum Nestorianis negare, Christum Deum esse natum, passum, mortuum: mera calumnia est. Nos enim etsi negamus, Christum vt Deum siue secundum Diuinitatem, passum & mortuum esse: tamen Christum Deum passum, & mortuum libentissimè confitemur. Denique (vt hunc locum aliquando concludamus) id vnum, ab aduersarijs peto, & quando quidem ipsi in extremo libro refutationis huius, prouocant omnes Iesuitas ad disputationem cū ea conditione, vt sola scriptura diuina sit iudex; proferant vnum locum ex toto veteri aut nouo testamento, vbi habeatur, B. Mariam Matrem esse Christi vt Dei, & Christum vt Deum, siue quod est idem, secundum Deitatem, obediuisse Patri, aut passum, & mortuum esse. Hætenus enim non protulerunt, nisi illa, *Sanguis Iesu Christi Filij Dei emundat nos ab omni peccato.* 1. Ioan. 1. & illud, *Non misit Deus filium suum in mundum, vt indicet mundum, sed vt saluetur Mundus per ipsum.* 1. Ioan. 3. & illud, *Ecce venio. in volumine libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui, & lex tua est in medio cordis mei.* Sed neq; in his locis, neq; vsquam alibi inuenient suas illas verborum nouitates. Vel certè sicut nos illis ostendimus scriptum esse 2. Corinth. 13. *Christus crucifixus est ex infirmitate;* id est, ex ea parte qua erat infirmus, & passibilis, nimirum ex

Humanitate & ad Rom. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* & deniq; 1. Petri 4. *Christo igitur in carne passio:* ita nobis ipsi vicissim legant. alicubi scriptum esse. *Qui crucifixus est ex virtute,* id est, ex ea parte, qua erat impossibilis, nimirum ex Diuinitate. Vel, *Qui factus est ei ex semine David secundum Diuinitatem;* Vel, *Christo igitur in Deitate passio.* Quod cum ostendere non possint, intelligent se, Iudice, scriptura, ad quam appellauerunt, omnino caussa cecidisse. Reliqua omnia, quæ ad errores pertinent, omittenda censui, quoniam superioribus similia sunt, & mihi propositum est, non ad refutationem respondere, sed id solum ostendere, refutationem indignam esse, cui respondeatur.

In postrema libelli mei parte notauit mendacialibri Concordiæ, quæ tam perspicua sunt, vt mirum sit ausos fuisse Aduersarios refutationem eorum agredi. Sed quàm aptè responderint, vno exemplo, vel altero demonstrabimus.

In 21. articulo Confessionis Augustanæ habentur hæc verba: *Hæc ferè summa est doctrina apud nos, in qua cerni potest, nihil inesse quod discrepet a scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quantum ex scriptoribus nota est.*

In his verbis notauit mendacium contineri. Quoniam in hoc ipso artic. 21. docent non esse inuocandos sanctos: & tamen non ignorant in Ecclesia Catholica veteri, & in Ecclesia Romana, vt nota est ex veterum scriptis, sanctos passim inuocatos fuisse, ac vt mendacium hoc tegi non posset, citauit in meo libello testimonia expressa pro inuocatione sanctorum Eusebij, Basilij, Chrysostomi, Græcorum; & Ambrosij, Augustini, Ruffini, Latinorum. Addidi testimonia Sancti Leonis Papæ, vt inde fides Ecclesiæ Romanæ veteris cognosceretur, & testimonium Prudentij ipso Leone antiquioris, qui testatur Romanam Ecclesiam consueuisse sanctos inuocare. Respondent in hac sua refutatione, testimonia veterum Patrum, quæ nos adduximus, pugnare cum diuino mandato, *Inuoca me, & Dominum Deum tuum adorabis;* & ideo veritati cõfessionis ipsorum nihil derogare. At nostra quæstio non est, an Patres vera scripserint quamquam & hoc nullo negotio defendi potest, sed an scripserint, id est, an testentur, Ecclesiam sui temporis, quam veram Ecclesiam, Catholicam fuisse Aduersarij confitentur, sanctos inuocasse; Cùm autem affirmant Aduersarij, Patres antiquos docuisse inuocationem sanctorum, eosque accusent quod id fecerint contra mandatum Dei, quomodo non mentiuntur, vel mendacium non confirmant, cùm dicunt, & repetunt doctrinam suam, quæ prohibet inuocationem sanctorum, à doctrina Ecclesiæ Catholicæ veteris non diffidere? Deinde vt probent in Ecclesia Romana veteri non fuisse usum inuocandi Sanctos, adducunt vnum testimoniũ Ambrosij ex commentario in c. 1. ad Roman. vbi videtur Ambrosius damnare Inuocationem Sanctorum, cum tamen constet Ambrosiũ esse Doctorem Ecclesiæ Romanæ. Sed multis modis respondere possumus. Nam primo auctor eorũ commentariorum non damnat inuocationem sanctorum, sed errorem quorundam Gentilium, qui docebant Deum immediatè adiri non posse. Sed necessario per quasdam inferiores virtutes cœlestes, ad eundem esse. Secundo commentaria illa à viris doctis non tribuuntur, Ambrosio. Tertio, Ambrosius in libro de Viduis, quem nemo negat Ambrosij esse apertissimè docet inuocationem Sanctorum, atque adeo apertè, vt Aduersarij hoc loco Ambrosiũ hoc nomine reprehendant, quod contra verbum Dei sanctos inuocandos esse docuerit. Quarto Ambro-

A sius nusquam dicit in Romana Ecclesia non inuocari sanctos. & contra Prudentius, qui æqualis Ambrosio fuit, disertis verbis in hymno de S. Laurentio Romanam Ecclesiam inuocare sanctos solitam esse testatur. atque idem testatur S. Leo Papa Romanus. Quæ omnia cum Aduersarij sciant, & saltem in nostro libello legerint, qua fronte mendacium excusare possunt, quò affirmant doctrinam suam ab Ecclesia Romana veteri non discrepare? Atque hoc de inuocatione sanctorum exempli loco posuimus. Nam alio qui plurima sunt in Confessione Augustana, quæ manifestè discrepant à Romana Ecclesia, quæ ante mille annos & eo amplius florebat.

In eadem Confessione Augustana, in articulo de Missa, habentur hæc verba: *Falsò accusantur Ecclesie nostræ quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur.* In his verbis euidentis mendacium contineri probaui in meo libello ex articulis Smalchaldicis, qui vnà cum Confessione Augustana describuntur, & approbantur in eodem libro Concordiæ, nam in articulis Smalchaldicis, Missa vt res commentitia, & figmentum humanum, vel potius vt cauda draconis abroganda mādatur. Respondent in Refutatione, per Missam, quæ secundum Confessionem Augustanam in Ecclesijs Lutheranorum retinetur, intelligi distributionem Sacramenti, non autem sacrificium pro viuis & mortuis: per Missam, quæ in articulis Smalchaldicis damnatur vt res commentitia, figmentum humanum, & cauda draconis intelligi Missam Papisticam, quæ dicitur esse sacrificium pro viuis & defunctis. At hanc refutationem ego ante præuidebam, & ideo in meo libello addideram, non accusari à nobis Lutheranos, quod abrogauerint distributionem Sacramenti, sed quod sustulerint sacrificium, quod in Ecclesia Catholica sub Missæ nomine celebratur. Itaq; hoc Dilemmate vsus sum, Si per Missam intelligitis Cœnam Domini, mendacium est quod accusemini, si verò intelligitis sacrificium, mendacium est quod falsò accusemini. Ad hoc nostrum dilemma non poterunt in Refutatione aliud respondere, nisi Missam à se abrogatam non esse, quia ipsa Cœna Dominica nonnullis in locis apud Lutheranos adhuc Missæ nomen retinet quamuis nullum in ea sacrificium offeratur. At non de nomine, sed de re quæstio est. Neq; Lutherani à Catholicis accusantur, quod Missæ nomen aboleuerint, sed quod Missam ipsam, qualem ante Lutheri tempora per multa sæcula Germani sacerdotes celebrauerant, iam non solum non celebrent, sed etiam vt idololatriam & Sacrilegium execrentur. Quare eodem dilemmate vt possumus, Si per Missam intelligitis vocabulum Missæ cœnæ Dominicæ accommodatum, mendacium est quod accusemini: sin autem rem ipsam, quæ Missa dicebatur ante Lutheri tempora, id est, sacrificium corporis Domini pro viuis & defunctis oblatum, mendacium est, quod falsò accusemini.

E Addam & tertium exemplum, In eadem Confessione Augustana, & ex ea in lib. Concordiæ habentur hæc verba: *Augustini tempore Monasteria erant libera collegia: postea corrupta disciplina vbique addita sunt vota, vt tanquam excogitato carcere disciplina restitueretur.* Hoc manifestum esse mendacium probaui ex ipso Augustino, qui sic loquitur in explicatione Psalm. 75. *Nemo positus in Monasterio frater, dicat, Recedo de Monasterio: neque enim soli qui sunt in Monasterio peruenturi sunt ad Regnum colorum. & illi qui ibi non sunt ad Deum non pertinent.* Respondetur ei, *Sed illi non vouerunt, tu vouisti.* & in Psalm. 99. *Dum*

non perseverauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reu voti non redditi. Respondent in Refutatione, falsò accusari mendacij suam Confessionem Augustanam, & reddunt rationem, quia Sanctus Augustinus in eadem explicatione Psal. 99. significat, eodem loco habitas Virgines sacras, quæ in Monasterio debebant & alias, quæ in proprijs ædibus versabantur. Secundo, quia idem S. Augustinus in lib. de bono viduitatis c. 10. & 11. dicit, se non probare illorum opinionem, qui dicunt lapsarum à sancto proposito sceminarum, si nupsent, adulteria non coniugia esse. Tertio, quia Confessio Augustana, cum dicit, Augustini tempore Monasteria fuisse libera collegia, & sine votis non loquitur de votis in genere, sed de votis in Papatu vsitatis, quibus puella, & iuuenes ante iustam ætatem implicati & restricti in vinculis istis, & contra verbū Dei, & conscientiam manere coacti sunt. At hoc quid aliud est, nisi fugere retia veritatis, & in laqueos falsitatis incurrere? Primum enim falsum est, quod eodem loco habitæ fuerint Virgines Deo sacræ, quæ in Monasterijs, & quæ in domibus proprijs versabantur. Nam quæ in domibus proprijs versabantur, solo voto castitatis obstrictæ erant, quæ in Monasterio debebant, vouerant præter castitatem etiam vitam communem, vt idem Augustinus in vtroque loco à nobis allegato scribit. Deinde S. Augustinus dicit quidem in libro de bono viduitatis, videri sibi coniugia post votum castitatis non esse adulteria, sed vera cõiugia, tamen addit in eodem loco esse sacrilegia, adulterio ipso peiora: proinde nõ vult, liberum illis fuisse post votum nubere, nisi sacrilegia adulterijs peiora libera esse debeant. Adde quod Augustinus eo loco de voto castitatis simplici loqui videtur, non de voto castitatis solenni, quale est illarum, quæ vt mûdo omni ex parte mortuæ in Monasterijs vitam communem sub obedientia profitentur. Deniq; falsum est, quod in Ecclesia Catholica ante iustam ætatem iuuenes aut puellæ seruare cogatur vota temerè emissa. Contrarium enim cauetur in antiquis Concilijs, & in ipso iure Canonico, & demū idem renouatum cernimus in Concilio Tridentino Sess. 25. c. 15. & 17. de Regularibus. Sed illud omnem impudentiam superat, quod verba Confessionis Augustanæ, generalia, perspicua, diserta, quibus asseritur tempore Augustini Monasteria fuisse libera collegia, & postea ob corruptam disciplinam, addita fuisse vota per nouam glossam restringere velint ad vota emissa ante iustam ætatem. Sed veniã damus pudori, voluerunt enim aliquo saltem imaginario pallio Patrum suorum verenda contegere. quamuis si quis eos vrgeret, ac peteret, an vota monastica emissa iusta ætate necessario seruanda sint, ex doctrina S. Augustini, & exemplo veteris Ecclesiæ; in maiores angustias credo, redigerentur, nec scio, qua ratione Lutheri, Catharinæ, Buceri, Petri Martyris, totq; aliorum suorum Principum apostasiam defenderent. Sed his omissis, veniam ad id, quod in principio, in medio, in fine totius Refutationis, atque adeo in singulis ferè paginis libri sui repetit & inculcat ad nauseam vsque. Quoniam enim ad tot mendacia illis obiecta quid solidi responderent, non inueniebant, excogitauerunt callidū sanè consilium vt Iesuitis inuidiam eo nomine confarent, quod ausi sint Illustrissimos Principes mendacij coarguere. Ita enim deriuata mendaciorum infamia à se in Principes, id futurum

A sperauerunt, vt quod ipsi rationibus non possent, notam videlicet mendaciorum eluere, id Principes auctoritate præstarent. Ego verò sanctè affirmare possum, nunquam mihi in mentem venisse, vt Illustrissimos Principes, quamuis à Religione Catholica alienos, mendacij reprehenderem. Illorum esse mendacia, quæ retuli, semper existimaui, qui Confessionem Augustanam, qui Apologiam, qui librum Concordiæ confecerunt, id est Philippi, Smiddelini, & paucorum aliorum Theologorum. Isti enim sunt, qui sciebant, vel certè scire poterant & sciuisse præsumuntur falsa esse, quæ dicebant, & scribebant; Atque hoc est esse mendacem. Principes, & populi, quorum munus non est libros euoluere, quique suis Theologis crediderunt, seducti, circumuenti, decepti dici possunt, mendaces dici non possunt. At (inquiunt Aduersarij pag. 62.) idcirco Iesuitæ non solo fædo illo mendacij nomine contenti adiuncto epitheto illustre mendacium vocarunt, hoc est, vanitatem, & mendacium Principum, probè namque nouerunt vocem hanc, illustre, in lingua Latina, præcipuè erga Principum personas vsurpari. responderem profectò illustrem hanc esse calumniam, nisi timerem, ne id etiam detorquerent ad Principum iniuriam. Ego igitur in Cicerone alijque bonis linguæ Latinæ auctoribus frequentissimè legi (illustre) pro dilucidò, & perspicuo, pro verbo, vel factò Principis nunquã legi. Illustre periurium est in oratione Ciceronis, de Haruspicum respõsis. quod si Aduersarij nostri periurium hominum illustrium, id est, principum interpretentur, quis non rideat? Ita igitur Iesuitæ de mendacijs Principum ne cogitantes quidem, illustria dixere mendacia Philippi Melanchthonis, aliorumque similium Sectariorum, quomodo Tullius illustre periurium, quod perspicua, manifesta, clarissima essent; nam vt idem ait Cicero in Partitionibus, illustre aliquanto plus est, quàm dilucidum. At, inquiunt, verba illa præfationis Concordiæ in quibus mendacia notantur, Principum verba sunt. Verba quidem illa ita scripta sunt, ac si à Principibus dicerentur, sed à Theologis composita, & cõscripta sunt. Principes enim nomine suo præfationem illam edi voluerunt, quo liber Concordiæ plus auctoritatis haberet. Sed quemadmodum decepti sunt, non autem mentiti, cum Concordiæ subscripserunt, quia vera esse crediderunt, quæ in ea continebantur: ita quoq; cum præfationem à Theologis cõfectam suo nomine typis mandari voluerunt, non ipsi mentiti esse dicendi sunt, quamuis in ea præfatione multa sint falsa, sed ij, qui scientes falsa esse, nõ veriti sunt ea conscribere. Quæ cum ita sint, si Principes Lutherani rectè iudicare voluerint, non de Iesuitis querentur, à quibus nulla iniuria sunt affecti, sed Theologis suis meritò irascantur, atque ab his dignas pœnas reposcent, qui ipsis ita imposuerunt, vt errores grauissimos, mendaciaque clarissima pro veritate eis obtruserint. Quod autem ad libellum meum attinet, is magnas agit Aduersarijs gratias, quod cum antea ab Auctore suo neglectus, sola Typographi benignitate lucem aspiceret, nunc tantorum virorum summo conatu, totisq; viribus oppugnatus, & nihil tamen læsus, cuius rei iudicium æquis lectoribus liberè libenterque permittitur, ab Auctore proprio, non solum pro suo agnitus, eiusque iussu editus, sed etiam inter alios eius libellos optimo loco sit collocatus.



INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in hoc Quarto Tomo Controuersiarum explicantur.

Numerus primus capita Bibliorum, secundus verò paginas indicat.

EX VETERI TESTAMENTO.

GENESIS.

Cap.

Colum.



PRODUCANT aquæ reptile animæ viuientis, & volatile super terram. 242. b
 Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias. 38 b, 241. c
 Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. 7. c, 173. c, 281 a, & seq.

Masculum & fœminam creauit eos, & dixit, crescite & multiplicamini. 35 c, 174. e, 192. d, 193. a, 238 e, 241. c
 Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli. 34. a, b, 385. c
 Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. 119 a, 167. c
 Quomodo Deus omnia finiuerit sex diebus. 38. a, b, cum seq.
 Quo die creatus sit homo. 38 b, 241. c
 2. Inspirauit in faciem eius spiraculū vitæ. 11. b, & 238. b. 241. d
 Plantauerat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio, & in eo posuit hominem quem formauerat. 36. c, d, 38. b, d

Fluuus egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradysum, qui inde diuiditur in quattuor capita, nomen vni Phison, &c. 36. d, & e 40. e, 42. b, 52. a, b
 Flumina paradysi. 36. d, e, 37. a, 41. a, & seq.

De omni ligno comedere. 34. b, 52. a
 Quacunque die comederis morte morieris. 9. b, 32. e, 71. d, 174. d, 175. a, 188. d, 189. a, 194. c, 195. a, 211. c, 259. c, 282. c

Dixit Deus non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. 193. b

Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem, &c. 175. a

Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. 193. b
 Erant autem ambo nudi, & non erubescabant. 8. c, & 9. a

3. Cur præcepit vobis Deus, &c. 182. e, 389. a

Nequaquam moriemini, scit enim Deus quia quacunque die comederitis, aperientur oculi vestri, &c. 175. d, e, 182. d
 Eritis sicut Di. 181. c, 182. d, 184. a, 189. a

Vidit lignum quod esset pulchrum visu & ad vescendum suauit. 189. b

Sumpsit de fructu, & manducauit. 189. b
 Attulit viro, qui & ipse comedit. 189. b

Quomodo Adam & Eva absconderunt se in paradiso. 36 e
 Comedisti de ligno, de quo præceperam ne comederes. 189. b

Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi. 189. b
 Dicitur Eux, quare hoc fecisti, serpenti, quia hoc fecisti. 561. b

Serpens decept me. 176. d, 189. c, e, 190. c
 Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ, super peccatum tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. 195. a, b, & seq.

Mulieri quoque dixit, multiplicabo arumnas suas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. 192. c, 193. d, e

Quia audisti vocem vxoris tuæ, &c. 180. b, 190. b
 Maledicta terra in opere tuo, in labore comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ: in sudore vultus tui vesceris pane tuo. 194. b, 384. a, 388. c, 699. c

Poluis es, & in puluerem reuerteris 20 a, 33. a, 35. c, 190. c, 194. e
 Ecce Adam sicut vnus ex nobis factus est. 182. e, 190. c

Ne forte sumat de ligno vitæ. 49. d, cum seq.
 Et viuat in æternum. 50. c, d, e

Tunc aperti sunt oculi amborum. 271. a

4. Adam non cognouit Euam, nisi post eiectionem ex paradiso. 174. c

Genuit filium ad imaginem suam. 281. a
 Respexit Deus ad Abel & munera eius. 997 a, 1170. a

Quare iratus es, & quare concidit facies tua, nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. 561. b, 643. c, d, & seq.

Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. 561. b, 604. c, 605. a, 643. c, e, & seq. 659. e

Egressusque Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden. 44. e

6. Figmentū cordis esse malū 277. b, d, 287. b, 315. a, 590. b, 611. e
 Noë vir iustus, atque perfectus fuit. 590. c, 612. a, 810. b, & seq.

Omnis caro corruperat viā suā 277. d, 590. c, 612. a, 619. c, 962. b
 Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est 297. b

Mortui sunt vniuersi homines, remansitque solus Noë, & qui cum eo erant in arca. 46. b, c

8. Figmentum cordis humani malum est ab adolescentia sua. 277. a, 289. a, 315. a

9. Terror vester ac tremor sit super omnia animantia terræ, & super omnes volucres cœli, & cuncta quæ mouentur in terra. 381. c, d

15. Credidit Abraham Deo & reputatum est ei ad iustitiam. 730. e, 781. a, b, 786. d, 793. d, 957. b, d, e, 958. a, b

17. Ambula coram me & esto perfectus. 68. e, 940. b, 941. c
 Patrem multarū gentiū posui te. 225. a, 238. e, 363. c, 752. c, 931. b

Ero Deus tuus, & feminis tui. 25. e, 254. a, b

21. Cur Abraham non celebrauerit filij sui diem natalem, sed diem ab lactationis. 223. a

22. Tentauit Deus Abraham ad probandum eum. 120. d
 Nunc cognoui quod timeas Dominum. 885. a

In semine tuo benedicetur oēs gētes 122. a, 363. c, 946. e, 1030. c

40. Pharao celebrat conuiuium in die natalitiorum suorum. 223. a

43. Der vobis Deus inuenire misericordiam coram viro. 568. a
 45. Nolite pauere, neque durum vobis videatur, quod me vendidistis in his regionibus. Pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos. 129. a

Non vestro consilio, sed Dei voluntate, huc missus sum. 128. b, & seq. 129. a

46. Omnes animæ quæ egressæ sunt de femore Iacob, fuere sexaginta sex. 245. c

50. Nolite timere, num Dei possumus resistere voluntati. 128. b, 129. b, c

Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum vt exaltaret me, & saluos faceret multos populos. 128. c

EX ODVS.

Cap. 1. Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos. 606. a

7. Indurauit Dominus cor Pharaonis. 143. e, 144. a, 589. c
 8. Quare puniantur indurati & excæcati. 142. a

Videns Pharao quod data esset requies, ingrauaui cor suum, & non audiuit eos sicut præceperat Dominus. 143. e

9. Idcirco autem posui te vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. 130. a, 131. e

Videns Pharao quod cessasset pluuia & grando, & tonitrua, auxit peccatum & ingrauaui est cor eius, & seruatorum illius, & induratum est nimis. 139. c, 143. e, 144. a, 589. c

Peccauit, Dominus iustus, ego & populus tuus impij. 589. b, c

12. Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptijs, &c. 570. b

14. Vigilia matricina quid? 1059. e, & seq.

20. Non mœchaberis; non occides, non furaberis. 60. b, 637. c

INDEX LOCORVM

Honora parentes. 60. b, 637. c
 Non mæchaberis, & non concupifces vxorem proximi tui, sunt duo mandata. 82. a
 Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes, visitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. 222. b, 270. b, 930. b
 Non concupifces. 301. b, & seq. 596. e
 23. Munera excæcant oculos sapientum. 141. b
 32. Dimitte me vt irascatur furor meus. 1048. e, & seq.

LEVITICVS.

Cap. Colum.
 5. Anima quæ tetigerit aliquid immundum, &c. 245. d
 Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis. ibid.

NVMERI.

Cap. Colum.
 13. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach de genere Gigantæo, quibus comparati quasi locustæ videbamur. 198. c

14. Amalec & Chananeus ante vos sunt, quorum gladio corrueritis, eo quod nolueritis acquiescere Domino. 640. b
 22. Quomodo Balaam Afina locuta sit. 173. c
 30. In arbitrio viri erit, vt faciat, vel non faciat. 560. a, c

DEUTERONOMIUM.

Cap. Colum.
 1. Filij tui, qui hodie ignorant distantiam boni & mali. 288. b
 Addat Deus ad hunc numerum multa millia. 239. a
 2. Indurauerat Dominus spiritum Schon. 139. e
 9. Peccatum vestrum quod feceratis, id est vitulum, igne combulli, & in frusta comminuens, in puluerem redegi. 308. b
 18. Tu autem perfectus eris coram Domino Deo tuo. 68. c
 27. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis huius. 88. a, 89. b
 28. Dabo vobis cor pauidum, & oculos deficientes. 568. a
 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi, hodie non supra te est, neque procul positum. 598. c, e, 640. b, & seq.
 Considera, quod hodie posuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum: & infra: testes inuoco cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; Elige ergo vitam vt & tu viuas, & semen tuum. 646. e
 Circumcidet Dominus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua. 598. d, 641. b, 642. a, 723. c, 940. b
 32. Dei perfecta sunt opera. 841. c
 Deus fidelis, & absque vlla iniquitate. 119. b, c

IOSVE.

Cap. Colum.
 10. Stetit Sol in medio cæli, obediente Deo voci hominis. 1049. a
 11. Domini sententia fuerat vt indurarentur. 139. e
 14. Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim situs est. 198. c
 24. Optio vobis datur, cui seruire potissimum debeatis. 560. c, 646. e

LIBER IVDICVM.

Cap. Colum.
 7. Vigiliæ noctis mediæ quid significant. 1060. a
 20. Ieiunauerunt illa die vsque ad vesperam. 1091. a

LIBER I. REGVM.

Cap. Colum.
 2. Dominus mortificat & viuificat. 139. b, 483. c
 Non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos. 139. c, 140. a, 568. b
 10. Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non est illi similis in omni populo. 139. c, 899. c
